LIOTECA NAZ.
ttorio Emanuele III
XV
C
36
NAPOLI

Digitized by Google

XV.
C.
36.



Digitized by Google

CANONICI JURIS

INSTITUTIONUM

LIBRI TRES.

OPERA ET STUDIO

FRANCISCI DE ROYE,

Anteceſſoris Andegavenſis.

PARISIIS, M. DCC. XVII.

Apud ANTONIUM DEZABBIER, in Vico San-Jacobæo, ad Coronam auream.

Cum Privilegio Regis Chriſtianiſſimi.

Bibliothèque Nationale R.F. III 2 RÉSERVE

ILLUSTRISS. VIRO DOMINO

D. HIERONYMO BIGNON,

, Patricio, & Comiti Consistoriano, Regiæ Bibliothecæ Præfecto.

NON una ratio jubet (VIR ILLUSTRISSIME) ut meum hoc Opusculum tibi appendam. Generalis ea

mihi ſtatim affulget ; quod cum Juriſprudentia gentile ſit, domus tuæ bonum, non aliud legitimum numen colere poſſim, quam qui aſſiduus eſt omnium Juris Studioſorum vindex. Nam cui magis artem ſuam aperiret familiaris ipſa Themis? Genti meæ adeſt etiam alia quædam ſingularis, de qua gloriari nunquam deſinam; quod jamdiu Illuſtriſſimi Majores tui meos quaſi ſuos Clientes ſuſcipere amaverint. Etiam atque etiam peto, ut honeſtam nepotis clientelam judicare velis. Sed præciſe ad me ipſum; nihil unquam jucundius mihi poteſt occurrere, quam ut mihi quondam liceat publice conteſtari quantum tibi debeam. Probe quidem novi me ne quidem illud ſcribere poſſe, mul-

to

to minus reſcribere. Sed publica debiti profeſſio bonæ fidei debitorem indicat, & forte commiſſum impedit. Hoc me poſſum dicere felicem, quod ubi ad munus Anteceſſoris accedere conatus ſum, civilis ſapientiæ ſtudium te mihi totum dederit. Eo etiam feliciorem, quod in me ſemper eodem animo fueris. Utinam modeſtia tua patiatur, eos palam dicere teſtimonium, qui non ita pridem teſtes fuerunt animi erga me tui. Agebatur de ſumma rerum mearum; viderunt te ad eam procurandam & ſtabiliendam multo ſuperaſſe generoſitatem Mœcenatis in Maronem & Flaccum. Et hoc præcipue imperat, hoc ἀνάθημα tuis Tholis appendi. Ve-

lim ut tuo ſolitoque vultu illud aſpicias.

Tibi Addictiſſimus
Franciſc. de Roye, Anteceſſ. Andegaven.

HUMANO LECTORI.

CUm Theodosius Magnus in quolibet Professore adeo expostulat interpretandi subtilitatem (humane Lector) ea mihi non alia est, quam accurata methodus, quæ causam dilucide constituat, & Studiosum veluti manu ducat in omnes propositæ rei partes ac recessus. Indicio de me ipse ero, quanam uti contendam in his Canonici Juris Institutionibus. Statim profiteor me, quantum subjecta materia pati potest, summa premere vel le Justiniani vestigia, & in duobus potissimum. Eadem mihi est operis partitio in personas, in res, in actiones.

In iis quantum ab eo recedam, ſuis quibuſque locis moneo; & præmitto rationem. Unum etiam illud ſtudioſiſſime ſequor, quod in omnibus fere ſuarum inſtitutionum Tractatibus Juris originem & progreſſum diligenter expendat, & ſenſim ad ſua tempora deducat. Eo nomine Plinius æqualem ſuum laudat Ariſtonem, quod Antiqua ut Nova, rara ut aſſidua Jura tractet. Hoc præcipuè obſervandum in Jure Canonico, cum ſanctitas & majeſtas in antiquitate ſplendeſcant, nec unius aſſis æſtimaverim Decretaliſtas. Ab Antiquo ture Canonico feliciter auſpicanda eſt Canoniſta inſtitutio, ne cum ad antiquos Canones aſcenderit, in alium terrarum orbem ſe delatum exiſtimet.

Me-

Memineris quæſo (humaniſſime Lector) me Anteceſſorem eſſe, non Juriſconſultum, non publica Juris condendi poteſtate præditum. Ideoque vix quidquam ſcribere auſim ex proprio jecore, & illico idoneas probationes ſubjicio. Ne illud tibi ſit Gallica nive frigidius. Ille ipſe Juſtinianus non ſemel Cajum alioſve Juriſconſultos, aut etiam quoſdam probatos Authores laudat. Scribo etiam inſtitutiones ſeu prima elementa & Catholica præcepta Juris Canonici, non ejus paratitla, non verboſos Commentarios. Unde multa in iis dicuntur ἐπὶ τὸ πλεῖσον, & ut obtinent ἐν πλάτει. Nec in iis exigenda eſt ſcrupuloſa inquiſitio: ne vel infirmus ſtudioſi animus, vel aliquando muliebriter pius, aliquid

quid extra aulæos comminiſcatur, aut fiat ſtudiorum deſertor. Ac tandem ſicut Eccleſia Gallicana Romanam veneratur & colit: ita & ubique me totum ei, meaque omnia ſubjicio lubens.

IN-

INDEX.

CANONICI JURIS

Institutionum.

LIBER PRIMUS.

PROOEMIUM. Pag. 1.
Tit. I. *De Jure Canonico.* 10.
Tit. II. *De Conciliis.* 15.
Tit. III. *De Constitutionibus Summorum Pontificum.* 22.
Tit. IV. *De Dictis aut Sententiis Sanctorum Patrum.* 24.
Tit. V. *De Constitutionibus Principum.* 26.
Tit. VI. *De Jure non Scripto.* 29.
Tit. VII. *De Jure personarum.* 30.
Tit. VIII. *De Laicis.* 33.
Tit. IX. *De Clericis.* 39.
Tit. X. *De Ordinatione Clericorum.* 43.
Tit. XI. *De Electione.* 55.
Tit. XII. *De Confirmatione & Consecratione.* 61.
Tit. XIII. *De Summo Pontifice.* 64.
Tit. XIV. *De Patriarchis & Cardinalibus.* 70.
Tit. XV. *De Episcopis.* 74.
Tit. XVI. *De Presbyteris & Archipresbyteris.* 82.
Tit. XVII. *De Diaconis & Archidiaconis.* 86.

Tit. XVIII.

INDEX.

Tit.XVIII. *De Subdiaconis & aliis Minoribus Clericis.* 90.
Tit.XIX. *De Canonicis.* 92.
Tit.XX. *De Monachis.* 100.
Tit.XXI. *De Monialibus.* 107.
Tit.XXII. *De vita & honestate Clericorum.* 110.
Tit.XXIII. *De Conjugatis Clericis.* 114.

LIBER SECUNDUS.

Tit.I. *De rebus Ecclesiasticis & earum acquisitione.* 120.
Tit.II. *De Sacramentis.* 126.
Tit.III. *De Baptismo.* 129.
Tit.IV. *De Confirmatione.* 136.
Tit.V. *De Eucharistia.* 139.
Tit.VI. *De Pœnitentia.* 142.
Tit.VII. *De Ordine.* 153.
Tit.VIII. *De Extrema Unctione.* 157.
Tit.IX. *De Matrimonio.* 162.
Tit.X. *De Ecclesiis.* 179.
Tit.XI. *De Rebus Sacris, Sanctis, & Religiosis.* 183.
Tit.XII. *De Decimis.* 185.
Tit.XIII. *De Primitiis, & Oblationibus.* 196.
Tit.XIV. *De Parochiis.* 198.
Tit.XV. *De Beneficiis Ecclesiast.* 206.
Tit.XVI. *De Collatione Beneficior.* 214.
Tit.XVII. *De Jure Patronatus.* 224.
Tit.XVIII. *De Renuntiatione & aliis amittendorum Be-*

Beneficiorum modis. 230.
Tit.XIX. *De Religiosis Domibus.* 235.
Tit.XX. *De Censibus & Procurationibus.* 237.
Tit.XXI. *De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.* 240.
Tit.XXII. *De Contractibus Ecclesiasticis.* 245.
Tit.XXIII. *De Precariis, Prestariis, & Libellis.* 250.
Tit.XXIV.. *De Bonis Clericorum, & Monachorum.* 255.
Tit.XXV. *De Testam. Cleric. & Monach.* 258.
Tit.XXVI. *De Legit. hered. Cler. & Monach.* 263.

LIBER TERTIUS.

Tit.I. *De Actionibus seu Judiciis.* 266.
Tit.II. *De Foro Competenti.* 270.
Tit.III. *De Privatis aut Civilibus Judiciis inter Clericos.* 276.
Tit.IV. *In quibus causis Clerici civiliter agere vel conveniri possint apud Judices publicos.* 281.
Tit.V. *De causa possessionis & proprietatis.* 286.
Tit.VI. *De Laicis, an & in quibus causis Ecclesiasticæ Jurisdictioni subjaceant.* 290.
Tit.VII. *De Publicis Judiciis.* 293.
Tit.VIII. *De Delictis Laicorum, an & quænam sint Ecclesiasticæ Jurisdictionis.* 300.
Tit.IX. *De Accusatione.* 303.
Tit.X. *De Pœnis.* 306.
Tit.XI. *De Excommunicatione.* 309.
Tit.XII. *De Suspensione, & Depositione.* 317.
Tit.XIII. *De Interdicto.* 320.

INDEX.

Tit. XIV. *De Purgatione Canonica, & Vulgari.*	322.
Tit. XV. *De Absolutione a Censuris.*	325.
Tit. XVI. *De Irregularitate.*	328.
Tit. XVII. *De Privilegiis.*	339.
Tit. XVIII. *De Dispensationibus Ecclesiasticis.*	344.
Tit. XIX. *De Officio Judicis.*	353.

FINIS.

Extrait du Privilege du Roy.

PAr Lettres Patentes du Roy, données à Verſailles le 9. jour de Septembre, l'an de grace 1680. *Signées, Par le Roy en ſon Conſeil,* JUNQUIERES, *& ſcellées. Il eſt permis à notre cher & bien amé* FRANÇOIS DE ROYE, Conſeiller & Profeſſeur és Droits en l'Univerſité d'Angers, *d'imprimer ou faire imprimer par tel Libraire qu'il aviſera, un Livre intitulé,* Inſtitutionum Canonici Juris Libri tres. *Et defenſes ſont faites à tous Libraires, Imprimeurs, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, de l'imprimer, vendre, ni debiter, autres que ceux qui auront droit de luy, & ce pendant le temps & eſpace de ſix années: à peine de trois mil livres d'amende, & autres portées par les dites Lettres.*

Et le dit ſieur DE ROYE *a cedé ſon droit du preſent Privilege au ſieur* DEZALLIER *Marchand Libraire à Paris.*

Regiſtrè ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs, le 20. Septembre 1680.

Signé, C. ANGOT, Syndic.

Acheve d'imprimer pour la premiere fois, le 20. Decembre 1680.

Les Exemplaires ont eſté fournis,

JU-

CANONICI JURIS

INSTITUTIONUM

LIBRI TRES.

PROOEMIUM.

CUM Chriſtus Dominus Sanguine ſuo acquiſivit & fundavit Eccleſiam, ejus Sanctitati & Majeſtati valde conveniebat, ut quaſi quædam Anarchiæ ſpecies incerto jure non regeretur. Unde ſtatim Sancti Patres ad eam regendam duplici Jure uſi ſunt,& Divino, quod omnino certum, & Canonico, cujus certum quoque corpus habere curarunt, ne quis pro ſua libidine falſos & ſuppoſititios Canones obtruderet.Præterea ſicut in Tullio non eſt Civitas, quæ non habet leges; ita nec eſt Eccleſia ſine certis Canonibus. Hinc Sacerdotes in *Can.*1. *diſt.*38. Sacras Scripturas & Sacros Canones addiſcere jubentur, & in *actione quarta Calched. Concilii* præcipitur Epiſcopis,ut omnes Chriſtianos, vel etiam Laicos,diligenter edoceant ſacros illos Canones, qui ab iis omnibus indiſtincte cuſtodiantur, ut eſt in *Can.*34. *Meldenſis Concilii.* Sicque dici recte poteſt, omnibus Chriſtianis apprime neceſſariam eſſe Canonum ſcientiam: non tantum ut bene beateque vivant ſecundum receptas Eccleſiæ regulas,ſed

etiam ut eos quotidie ad manum habeant in ipsis rerum argumentis.

Quia vero immensa cœpit esse sylva Canonum, quam vix ullus propriis viribus pervadere poterat, perutilis fuit eorum opera, qui varias eorum collectiones accurata methodo digesserunt, de quibus suo loco; ut ita quicquid in ea scientia certum est, sub uno aspectu illud habere liceat, & falsos Canones facile secernere a veris, qui soli contineantur in iis *Codicibus*.

Universa fere Catholica Ecclesia eo Canonici juris corpore utitur hodie, quod conflatum est ex Decreto Gratiani, quinque libris Decretalium Gregorii IX. Sexto Bonifacii VIII. quinque libris Clementinarum, Extravagantibus Joannis XXII. & quinque libris Extravagantium Communium, eaque omnia, eorum progressum, & primam editionem, paucis expendere juvat, exemplo Justiniani Imp. in *Proœmio Institutionum*.

Igitur prima pars ejus corporis est *Decretum* Gratiani. Erat ille patria Classensis in Italia. Robertus de Monte in *Appendice ad Sigibertum* facit eum Clusinum Episcopum, quem tamen non agnoscit Author Italiæ Sacræ, & omnes eum vocant Monachum S. Benedicti in Monasterio Bononiensi S. Felicis. Librum illum sub Eugenio III. edidit circa *an.* 1150. ut scribit Abbas Urspergensis ad *eum annum*, & notat Hugutio vetustissimus ejus Interpres, post *Can.* 1. 2. *quæst.* 6. *ad §. forma*. Alii volunt, editum illum fuisse *an.* 1151. Math. Westmonasteriensis, Ptolemæus, Lucensis,

cenſis, & Calderinus: ſequerer Hugutionem. Poſt Burchardum, Wormach. & Yvonem Carnot. librum illum inſcripſit DECRETUM: quod nihil aliud eſt, quam collectio earum omnium Conſtitutionum, quæ inter Chriſtianos vim legis & canonis habent. Nec ita inſcriptionem illam accipias, quaſi totum illud opus, unum ſit Gratiani decretum; nam bene multa in eo exſcripta ſunt. Sed ſicut collectio variorum edictorum a Juriſconſultis appellatur Edictum perpetuum: ita & cum unus ille ſit Gratiani ſcopus, ut omne exſcribat genus decretorum, quæ in Eccleſia obtinent, ſuum illud Opus inſcripſit Decretum, vel ut quidam legunt, LIBRUM DECRETORUM, quaſi ſecutus ſit Paulum Juriſconſultum, qui cum varias Imperatorum ſententias in eodem libro colligere voluit, eum inſcripſit librum Decretorum. Ita liber ille Gratiani ſtatim a prima editione appellatus occurrit LIBER DECRETORUM, in *Epiſtola Goffridi Comitis Aleſini ad ann.* 1176. quæ integra extat *Lib.* 3. *Chronici Caſaurienſis ſive Piſcarienſis, pag.* 529. *to.* 5. *Spicilegii Dacheriani.*

Plures volunt, ex mandato Eugenii III. S. P. editum fuiſſe illud Decretum: aut ſaltem authoritate Apoſtolica confirmatum a Gregorio XIII. cum Juris Canonici corpus typis mandari curavit. Sed omnino verius eſt, opus iſtud eſſe privati hominis. Primo enim omnes fere veteres Interpretes agnoſcunt, mandatum illud nullibi extare, nec ullam ejus Apoſtolicæ confirmationis mentionem apud Authores Gratiani æquales. Secundo Jo: Andræas ait, dicta Gratia-

ni quotidie in Scholis reprobari, quia non ſunt authentica: quod jam olim docuerat Innocentius III. in *cap. 5. de elect. in 3. compil.* Sane Gregorius XIII. ſuam noſtri corporis Canonici editionem Apoſtolico reſcripto confirmavit; ſed illud pertinet tantum ad emendatiorem ejus corporis editionem, non etiam ad ejus confirmationem. Cum enim corpus Juris Canonici, & præcipue Gratiani Decretum, innumeris erroribus ſcateret, Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. doctiſſimos undequaque viros convocarunt, qui errores illos emendarent: & hi ſunt Correctores Romani. Summus ille Pontifex in eo reſcripto nihil aliud jubet, quam ut illud ita emendatum, in poſterum edatur.

Sed cum Decretum illud eſſet tantum privati hominis, & adeo mendoſum & inconditum; unde nam ei conciliata eſt tanta authoritas, ut omnes Viri docti ad ſolam hanc imperfectam Canonum collectionem Gloſſas & Commentarios ſcripſerint? Duplicem ejus rei cauſam eſſe conjicerem, & Inſtitutum Gratiani, & Bononienſis Academiæ famam. Canonum Collectores ante Gratianum eos tantum ad literam exſcribebant: ſed cum videret plures ex iis diſſidere invicem; ex Scholaſtica diſciplina (quæ tum primum oriebatur, & cujus erat peritiſſimus) iis varias interpretandi & conciliandi rationes ſubjecit. Unde quidam ejus librum inſcripſerunt, CONCORDIAM DISCORDANTIUM CANONUM: & Stephanus Tornac. in *Epiſt.* 1. Gratianum vocat *Magnum Canonum Interpretem*. Adeo ab omnibus probata eſt ea methodus, ut qui

jus

jus Canonicum Bononiæ docerent, ſolum illud Decretum legerent in Scholis, & ideo dicerentur Magiſtri & Doctores Decretorum, *cap.3.de judic.* & *cap.1. de regul.in 5.Compilat.* qui ſtatim ab ejus libri editione ſummas, hodie paratitla ejus ſcribebant, ut docet eadem *Epiſtola Goffridi Comitis*. Sic etiam ejus Academiæ fama illa erat eo tempore, ut ad eam juris ſtudioſi undequaque confluerent, quod per totum Occidentem in ea ſola tum primum jus civile doceretur, ut videre eſt apud ejus ætatis Authores, *Petrum Bleſenſem*, *Joannem Sarisber.* & *Stephanum Tornac.* in *Epiſtolis*. Cumque ſtudioſi a ſuis Canonici Juris Profeſſoribus nihil aliud domum ſuam exportarent, quam Gloſſas & Commentarios in Decretum Gratiani, hoc ei magnam exiſtimationem apud omnes peræque gentes conciliare potuit. Sicut autem ſæpiſſime Veteres interpretationem Aniani ad *Cod.Th.* acceperant pro ipſis legibus: ita & plerumque veteres Canonici Juris Interpretes Gratiani verba cum ipſis Canonibus confuderunt: quod tamen utrumque omnino diſtinguendum monet Contius, & adverterant etiam Romani Correctores. Stephanus Tornacenſis in opus illud Commentarium primo ſcripſiſſe dicitur.

Ac tandem tres ſunt Decreti partes. I. dividitur in 100. *diſtinctiones*. II. in *cauſas* & *quæſtiones*, ubi cauſæ ſunt hypotheſes aut ſpecies, ex quibus varias *quæſtiones* deſumit Gratianus, & ſæpe in utramque partem tractat. III. eſt *tractatus de conſecrat.* alter, *de pœnitentia*; quæ laudantur

ex eo Decreto, Canonis nomine citari ſolent; nec aliam ex eo libro vim & authoritatem habent, quam ex ipſis fontibus, ſeu ex iis locis, ex quibus deſumta ſunt.

Secunda pars Canonici Corporis eſt Collectio Decretalium Gregorii IX. quinque libris conſtans: Decretalium, ſupple Epiſtolarum, quæ nihil aliud ſunt, quam Reſcripta Summorum Pontificum ad relationem & conſultationem Prælatorum, vel ad libellos aut deſideria petentium. Non diu ante Gregorium IX. de iis ita loquitur Stephanus Tornac. in *Epiſt.* 241. *Profertur inextricabilis ſylva decretalium Epiſtolarum, & antiquiores ſacri Canones rejiciuntur*. Unde fluxerunt quinque Collectiones earum Decretalium, ut quoquo modo eſſent certæ; & partim privata, partim publica authoritate concinnatæ ſunt. Quatuor priores Ant. Auguſtini beneficio habemus, & quintam opera Cironii. Sed cum minus abſolutæ eſſent, Gregorius IX. ex iis, & ex quibuſdam Epiſtolis ſuis, ſextam compilationem componi mandavit Raymundo Cardinali Dominicano ad *an.* 1235. eamque authoritate Apoſtolica confirmavit, ut etiam teſtantur Martinus Polonus, & Math. Paris ad *eum an.* & addunt eam ab ejus nomine appellatam fuiſſe *Gregorianam*. Ea vim & authoritatem habet etiam in Gallia, niſi quatenus Regni & Eccleſiæ Gallicanæ juribus adverſatur.

Quæ ſunt ex ea Collectione, per capitula citari ſolent, puta *cap.* 1. *de præb. apud Gregor.* quod ille ſit ejus Author; aliquando etiam verbum illud additur,

ex.

*extra, cap.*1.*ext.de præb.* id eſt,in iis Decretalium Libris,quod illi ſint extra Decretum, ex quo ſolo conſiſtebat antea totum Jus Canonicum. Quodlibet fere capitulum incipit a priori verbo Decretalis Epiſtolæ, quam ut plurimum integram habemus in antiquis Collectionibus. Poſt illud ſubjicitur, *& infra*: quod ſæpius in eo capitulo reſecata ſint ea , quæ ad ſolam ejus ſpeciem pertinent, & afferatur ſola propoſiti negotii definitio. Unde Math.Paris ibidem ait, *ſub quodam compendio eas decretales Epiſtolas abbreviatas fuiſſe* . Et ideo prior ea vox retinetur , quia veteres Gloſſæ Decreti, & antiquarum Collectionum,ſemper Decretales Epiſtolas laudare ſolent ab iis prioribus verbis,a quibus incipiunt,ut ita facilius uti poſſimus iis gloſſis.

Tertia pars dicitur Sextus Bonifacii VIII.ſic dictus , quod quinque libris Gregorii IX. additus ſit . Conſtat etiam aliis quinque libris , quos Bonifacius VIII. opera Guillelmi Ebredunenſis Archiepiſcopi ex Decretalibus Pontificum a Gregorio IX. ad eum compilavit , *an. Domini* 1297. ut teſtatur ejus Proœmium, ſicut & Mart.Polonus in ejus vita. Fere autem Galli rejiciunt illud volumen, ut etiam agnoſcit Gloſſa ad *cap.*16.*de elect.in ſexto* , ſeu quod idem eſt, apud Bonifacium , propter graviores inimicitias inter eum Bonifacium,& Philippum Pulchrum,ut ait Paulus Æmilius : cum tamen Pontifex ille ſuum hunc librum miſerit in Galliam ad Doctores & Scholares Pariſiis & Aureliæ commorantes,ut notat Janus a Coſta ad *tit.de judic.*

Sequuntur quinque libri *C*lementinarum, quos Clemens V. compilavit ad *an.* 1312. ex Canonibus Viennenſis Concilii ſub eo habiti, & ex quibuſdam ſuis Conſtitutionibus. Gloſſa notat eum valde interpolaſſe illos Canones. Quidam Anonymus in ejus vita ſcribit, in ea Collectione quoſdam eſſe Canones, de quibus in eo Concilio actum non eſt, eamque publicatam fuiſſe tantum a Joanne XXII. ejus Clementis ſucceſſore. Continuator Guillelmi *de Nangis* in Chronico addit, eam publicationem ſuſpenſam fuiſſe in Gallia, quod in ea collectione quædam excommunicationes nimis rigidæ continerentur, ac tandem receptam illam fuiſſe ab omnibus Univerſitatibus. Speculator omnes ejus Concilii Canones collegit, & interpretatus eſt.

Denique in corpore Juris Canonici ſunt Extravagantes, nempe Conſtitutiones Decretales Joannis XXII. & Extravagantes Communes, quæ ſunt aliorum Summorum Pontificum. Sic dicuntur, quod vagentur extra Collectionem Decretalium: a privatis collectæ ſunt, & ideo vim & robur non habent, niſi fides iis adſtruatur, aut ex ſcriniis Apoſtolicis, aut ex probatæ fidei Scriptoribus.

Cum ita tandem noſtrum Juris Canonici Corpus per partes editum eſt, ne ſtudioſi multitudine & varietate rerum onerentur, quas vix ab initio capere poſſunt, Juris illius Inſtitutiones componere placuit, quæ ſunt totius Canonicæ ſcientiæ prima elementa. Nullæ adhuc prodierunt, quæ publicam habeant authoritatem. Nam & Lancelotus in ſuarum

Proœ-

Proœmio fatetur eas eſſe privati hominis, ſeque nunquam impetrare potuiſſe Apoſtolicam earum confirmationem. Unde & Gregorius XIII. in reſcripto ad editionem Corporis Canonici earum non meminit. Probe quidem novi opuſculum hoc meum eodem jure cenſeri; ſed nec illud edere mens eſt, quaſi vim ullam vel aliquam authoritatem habere debeat. Unum illud in votis eſt, ut Canonici Juris ſtudioſos utcumque juvare poſſim. Utinam editæ eſſent Juris illius Inſtitutiones, quas ab Ant. Auguſtino ſcriptas fuiſſe ait Doctiſſimus Baluſius ad Gratiani Decretum; proculdubio iis me totum dediſſem, nec ullatenus manum admoviſſem calamo.

Hinc vero fluxit Traditio, bonum illud Eccleſiæ depoſitum: quod cum ſacra Scriptura nec omnia contineat, quæque continet, ſæpe ſubobſcura ſint, & variam patiantur interpretationem, ideo Nobis propoſita eſt Traditio Apoſtolorum, quæ ſuppleat & exponat, inquit Auguſtinus *lib.5.de Bapt.contra Donat.cap.23.* & ita Sancti Patres admittunt Apoſtolicam illam eſſe Traditionem, quæ ſit univerſalis, ſeu quæ obtineat apud omnes Eccleſias, nec a fide abhorreat. Quidam vero aliam Traditionem faciunt, quæ non ſit a Chriſto vel Apoſtolis, ſed quæ ab hominibus profecta ſit: ut cum electus Pontifex Rom. jurat, ſe nihil mutaturum de Traditione, quod a probatiſſimis Prædeceſſoribus ſuis ſervatum reperit, ut eſt in *lib.diurno Roman.Pont.* & apud *Tvonem Carnot.*

Conſuetudo eſt particularis alicujus Eccleſiæ inſtitutio, *d.Can.8.* quæ non fidem aut religionem

ſpe-

ſpectat, ſed ritus, ſolemnia, diſciplinam, juriſdictionem. In iis enim tanta fere eſt diverſitas uſuum, quanta eſt multiplicitas.

TITULUS I.

De Jure Canonico.

ILLUD eſt, *Jus quod Eccleſia ſibi conſtituit.* Eccleſia, id eſt, cœtus & congregatio fidelium, ait Arnulphus Lexov. in *ſermone ad Synodum*. Eam quoque definitionem habet Zona. ad *Can.*47. *Carthag Concilii*, & in ea dici recte poteſt, *Fidelium nomine* Laicos etiam venire, ut apud S. Cyprianum & Optatum in aliis caſibus: eaque latior interpretatio huic noſtro Juri Canonico valde convenit; quippe quod conſtet tot Conſtitutionibus veterum Imperatorum, tot Capitularibus Regum noſtrorum, tot Juriſconſultorum ſententiis. Eccleſia in Chriſti nomine congregata jus conſtituit, eamque poteſtatem habet a Chriſto Domino, ut palam eſt ex 18. Mathæi *verſ.*18.& 19. *Sibi conſtituit*, id eſt, ſuis fidelibus liberis, quibus proprie ſcripti ſunt Canones, ait Leo IV. in *Epiſt.*2. *ad Epiſcopos Britanniæ*, & quidem ad recte ſe regendum, *Can.*1. *ſeptimæ Synodi.*

Sic dicitur Jus Canonicum a Canone, id eſt, a regula. Græci Eccleſiaſticas regulas vocant Canones, ait *Abbo Floriac. in ſua Collect. Canonum cap.*8. & ideo veteres Sancti Patres ſuas Conſtitutiones vocarunt regulas, quod proprie pertineant ad eorum mo-

res,

res, qui ſunt in Eccleſia, Sozomenus *lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 22. Nec forte auſi ſunt eas appellare leges, quaſi earum condendarum poteſtas ſolis Principibus competat. Sicut vero Theodoſius junior & Juſtinianus varias aliorum Principum Conſtitutiones in unum Codicem retulerunt, ne malæ rei homines falſas & ſuppoſitas quotidie obtruderent; ita & ſtatim placuit certum eſſe Jus Canonicum, quod conſtet veris & approbatis Canonibus, quos tantum Eccleſiam agnoſcere ait *Carthagin. Concilium anno* 419.

Nec obſtat, quod Gratianus multos exſcripſerit ex Canonibus Apoſtolorum, qui ab Anton. Auguſtino dicuntur incerti. Inter omnes quidem convenit, editos illos non fuiſſe ab iis ipſis Apoſtolis, cum multa contineant eorum tempore incognita; & ideo dici Apoſtolorum, quod ab eorum Succeſſoribus editi fuerint, qui omnino erant viri Apoſtolici. Conſtat etiam, eos omnes non ſimul editos fuiſſe, ſed variis temporibus & locis; cum viri illi Apoſtolici nondum libere convenire poſſent, ait Hincmarus Remen. in *opuſculis*. Sunt tamen antiquiſſimi: nam laudantur in *Nicæno Concilio ad initium quarti ſeculi*. Et ideo dici poteſt eorum Collectionem completam fuiſſe ad finem tertii. Nec conſtat de eorum numero. Græci octoginta quinque agnoſcunt, Latini quinquaginta priores, quos Dionyſius exiguus ex Græco in Latinum vertit, & ſuæ Canonum collectioni præmiſit, non etiam cum iis junxit, quod inquit nec ab omnibus probati ſint. Et hinc Gelaſius in *Can.* 4. *diſt.* 14. ait eos eſſe apocryphos, cum nec de

eo-

eorum numero, nec de tempore, nec de loco, nec de eorum Authore conſtet. Quia tamen & Concilia, & Summi Pontifices,& Sancti Patres,eos fere omnes utcumque probarunt, Gratianus quoſdam ex iis exſcribere potuit.

Idem plane dicendum de Canonibus *ſextæ Synodi in Trullo*, id eſt in Secretario Conſtant.Imperialis Palatii, quod nempe videantur etiam incerti. Conſtat enim, nullos ab ea editos fuiſſe Canones de diſciplina; & tamen idem Gratianus quoſdam ex ea Synodo exſcripſit. Sed huic objectioni ſatisfacturus aſſerit,quatuor aut quinque annis poſt eam Synodum eoſdem fere Patres in eodem loco conveniſſe, qui centum & duos Canones pro ea Synodo & ejus nomine ediderunt. Ac rectiſſime Ant.Auguſtinus obſervat eos tantum ab Adriano I. probatos fuiſſe, qui jure & juxta regulas ab ea editi ſunt. Vide *Can.*6.7. 8. *diſt.*16.

Sicut Juris Civilis ita & Canonici ſumma illa diviſio eſt, ut aliud ſit jus publicum, aliud vero privatum. Et tamen Juris illius Inſtitutiones a Canonicis differre debent, quod in illis vix attingatur jus publicum: illud vero in Canonicis prætermitti nunquam poſſit: & quia jus Pontificium in publico continetur, ajebat etiam M. Tullius *lib.*2. *de legib.* & quia jus publicum in Sacris & Sacerdotibus conſiſtit, *Can.*11. *diſt.*1. Vix autem abſque iis pars ulla Canonici Juris tractari poteſt, & totum Jus,quod ad eos pertinet,pro publico haberi,docet Gloſſa *ad.dict. Can.*11. Igitur Jus publicum eſt, quod ad ſtatum to-

totius Eccleſiæ pertinet, ac præcipue conſiſtit in Sacris & Sacerdotibus: Jus autem privatum, quod Privatorum utilitatem ſpectat.

Alia diviſio eſt, ut aliud ſit Jus ſcriptum, aliud vero Jus non ſcriptum, de qua fuſius apud Gratianum *diſt.1. &* 11. Ejus diviſionis rationem afferunt Juſtinus Martyr in *Epiſtol.ad Diognetum in fine*, Origenes in *Philocalia cap.*1.& Vincentius Lirinenſis in *utroque commonitorio*, quia non omnia continentur in ſacra Scriptura; quæque in ea continentur, ſæpe ſubobſcura ſunt, nec facile cadunt ſub humanum, ſenſum,& ideo traditione Apoſtolica opus fuit (quæ facit Jus non ſcriptum) ut nobis ea enucleare poſſit. Sicque per partes evenit, ut Eccleſia Jure ſcripto & non ſcripto gubernetur. Prius de ſcripto.

Collectum eſt ex præceptis Conciliorum (quæ proprie dicuntur Canones) ex Decretis & Decretalibus Summorum Pontificum, ex dictis aut ſententiis Sanctorum Patrum, & ex quibuſdam publicis legibus. Plures ſunt Juris illius Collectiones & Græcæ & Latinæ; quædam ex iis breviter expendendæ ſunt, ex quibus deprehendatur, quid aliæ habeant.

Antiquiſſima eſt Collectio Græcorum Canonum, Theodoſii Senioris tempore conſcripta. Eam laudant Calchedon. Concilii Patres. Ejus meminit Dionyſius Exiguus in *præfat. ad ſuum Codicem Canonum*, & ait eam confuſe translatam. Ac forte verius eſt, eam ipſam eſſe, quam Juſtellus publicavit, non quam edidit Queſnellus cum operibus Leonis Magni: vix ea videtur Codex Canonum, ſed farrago

& col-

& collectio quædam confusa locorum sibi communium, quam privatus aliquis sibi concinnavit ex quibusdam Canonibus, Epistolis Summorum Pontificum, & quorundam Episcoporum, atque etiam ex rescriptis quorundam Imperatorum. Prior quibusdam est Codex Canonum Universæ Ecclesiæ, quod ea tunc temporis eo solo uteretur.

Sub Justiniano Dionysius Exiguus Abbas (cujus meminit Cassiodorus) veterem hunc Codicem ex Græco in Latinum sermonem elegantius vertit: ei quosdam alios Canones post eum editos addidit, & quædam decreta Pontificum. Ea Collectio a quibusdam dicitur Codex Canonum Ecclesiæ Romanæ, quod ea diutius eo solo usa fuerit. Adrianus I. eum dedit Carolo Magno, ut eo uteretur Ecclesia Gallicana, prout diutius obtinuit. Nam olim quælibet fere gentis alicujus Ecclesia suum habebat Codicem Canonum, non quod a Romana discreparet, sed ad stabiliendam & sanctius observandam disciplinam, quæ in unaquaque obtinebat ex propriis Canonibus. Utrum Ecclesia Gallicana non alium Codicem habuerit ante Carolum Magnum, videndus idem Quesnellus *tom.2.ad Leonem Magnum.* Rodericus etiam Toletanus meminit passim Corporis Canonum Hispaniæ. In orbe nostro subinde prodierunt quatuor Collectiones Canonum, Reginonis Abbatis, & Burchardi Wormacienſis in Germania, Yvonis Carnot. in Gallia, & Gratiani in Italia.

Licet vero in omnibus illis Collectionibus iidem fere Canones exscribantur; attamen illæ (nec etiam aliæ

aliæ quædam posteriores) non omnino sunt inutiles. Primo enim sæpius iis novi quidam Canones adduntur prioribus Collectoribus incogniti. Secundo antiqui Canones in noviſſimis Collectionibus exſcripti notant, quamdiu ſervata fuerit eorum diſciplina; & fere ſemper unius etiam vocis mutatione aut additione aut detractione indicant aliquid ex ea diſciplina ſublatum aut immutatum, vel pro captu Authorum, vel pro varietate locorum & temporum. Nam ad Canones referri poſſunt, quæ de legibus ait Marius Victorinus Afer in libro *de arte grammatica. Antiqui libri legum, etiamſi ex frequenti tranſcriptione aliquid in iis mutaverint, attamen retinent antiquitatem.*

TITULUS II.

De Conciliis.

COncilium eſt Cœtus, Conventus, aut Congregatio fidelium. Ejus nomen a more Romano in Eccleſiam fluxit, *Can. 1. diſt. 17.* Ex quo cum Judices conveniebant, hoc dicebatur Concilium. Antiquiſſima eſt ea vox in Eccleſia Latina (Græci dicunt Synodum) Ea occurrit apud Tertull. & S. Cyprianum. Cumque Apoſtoli convenerunt Hieroſolymis, ut de quodam fidei capite ſimul agerent, S. Auguſtinus in *Epiſt. 19.* Conventum illum vocat Concilium Hieroſolymitanum. Habendi Concilii poteſtas in Eccleſia Catholica repetitur ex iis Chriſti

Do-

Domini verbis: *Ubi duo vel tres in nomine meo Congregati fueritis*. Ejus initium occurrit in Actis Apoſtolorum, & potiſſimum in *Cap.*15. Concilium vel eſt Oecumenicum, vel Nationale, vel Provinciale, vel Diœceſanum, aut Epiſcopale. Primum ſic dicitur quaſi ex univerſo orbe convocatum, ſeu ex Orientali & Occidentali Eccleſia, ut in eo ſit totius Chriſtiani nominis repræſentatio, ait Tertullianus in *lib. de jejunio cap.*13. Concilium univerſale dicitur Convocatis Sacerdotibus de cunctis Provinciis, ait *Leo M.* in *Ep.*69. addendum *Chriſtiani orbis*. Primum ſub Conſtantino habitum eſt, nempe Nicænum I. ac licet ante illud quædam habitæ ſint particulares Synodi, attamen in *Cod.Can.* primo loco recenſetur, propter illius dignitatem, ait Dionyſius Exiguus.

Nationale dicitur, quod conſtat Epiſcopis multarum Provinciarum ejuſdem Nationis. Dicitur major Synodus in *Can.*12. *Antioch. Synodi*. Plenaria & univerſalis in *Cod. Can.Eccl.Afric.* & apud S.Auguſtinum; quod nihil aliud, quam univerſæ Africæ, ut paſſim in *eodem Cod.* occurrit. Id genus Concilii antiquiſsimum eſſe teſtatur Illiberitanum Concilium Hiſpanæ Nationis; ſicut & prior Antiochena Synodus contra Paulum Samoſathenum; & quædam Synodi Africanæ ſub S.Cypriano. Unde dicendum eſt, Impp.in *l.*23.*Cod.Th.de Ep.& Cl.* non primo introduxiſſe hujuſmodi Concilium, ſed ejus meminiſſe quaſi jampridem uſitati. Olim quidem illud aliquando dicebatur univerſale, ut probat allatus Tertull.locus, ſed invaluit ſolum illud appellari Oecumenicum,

quod

quod ex universo orbe Christiano congregatum est. Aliquando etiam appellatum est Diœcesanum, quod olim Diœcesis tractū & collectionem pluriū provinciarū significaret,& in civili & in Ecclesiastica politia.

Provinciale dicitur,quod constat ex omnibus Episcopis ejusdē Provinciæ:antiquissimū est & olim frequētissimū erat,& magnæ authoritatis,ut mox videbimus.

Denique Diœcesanum aut Episcopale Concilium est, quod constat ex Presbyteris ejusdem Diœcesis a proprio Episcopo convocatis; & sæpius dicitur hodie Synodus Episcopalis in tractatu de Conciliis. Anxie quæritur,quis ea convocare possit,& major difficultas est in Concilio Oecumenico, an Summus Pontifex, an solus Princeps. Conjicerem in ea quæstione duplicem esse visionem, ut altera sit facti, altera juris. De facto constat videlicet priores Christianos Impp. pro Imperio & Officii sui prospectu, vel ut loquimur, per se tantum, indixisse & convocasse sanctiora quædam Oecumenica Concilia; sicut & Christianissimos Reges Nationalia & Provincialia. Sed superest quæstio juris, an ea jure convocaverint. Origo & Materia Conciliorum solis Episcopis adstruere videntur proprium & primævum jus eorum convocandorum. Verba Christi Domini (quæ supra referuntur) sunt ad solos Apostolos: iique soli convocarunt Ecclesiam: sic etiam habet *actorum Cap.15. Convenerunt Apostoli & Seniores videre de hoc*. Et hinc eorum successores Episcopi se ipsos invitabant ad Conventum, ubi necessitas postulabat, ut passim occurrit apud Eusebium in *libris Hist.Eccles.* Sed ne

tandem tumultuarie haberetur, invaluit eum indici a primæ ſedis Epiſcopo. Per trecentos annos ea fuit Eccleſiaſtica diſciplina.

Eam quoque adſtruit materia Conciliorum: nam in iis agitur vel de fide, vel de diſciplina, cujus utriuſque cognitio primitus competit ſolis Epiſcopis; & eorum decreta tuentur, & ad effectum perduci curant Principes. Quia tamen in quolibet Imperio Cœtus & Collegia ſine conſenſu & venia Principis inſtitui non poſſunt, *l. 1. ff. de Coll. & Corp. Ill.* Ideo placuit, nec etiam haberi poſſe Concilia, niſi ex permiſſu Principis. Et hinc S. Hieronymus, in *Apol. contra Rufinum: Quis Imperator hanc Synodum congregari juſſit?* Et Sueſſionenſis ac Tullenſis Concilii Patres ſub Carolo Calvo ſtatuunt: *Ut ſi quis Epiſcopus Concilium convocare velit, Regis conſenſum petat.* Quod jamdiu antea Deſiderio Cadurcenſi reſcripſerat Sigibertus Rex *apud Quercetanum tom. 1. Hiſt. Franc. pag.* 887.

Sane quilibet Epiſcopus quotannis ſuam Synodum celebrat abſque ſimplici Principis permiſſu, quia & ex ſacris Canonibus & ex Regiis Conſtitutionibus hoc verſum eſt in aſſiduum uſum.

Oecumenicum igitur Concilium abſque authoritate Romani Pontificis convocari non poteſt. Hoc ipſi etiam Græci agnoſcunt, & pluribus paſſim probat Gratianus. Et hinc ſæpius huic præſunt ejus Legati.

Nationalis Concilii convocatio pertinet ad Primatem Nationis, *Can. 17. Synodi octavæ*. Et huic ad-

adeſſe debent omnes Epiſcopi earum provinciarum, quæ huic Primati ſubjacent. Unde apud Leonem Magnum in *Ep.12. cap.7.* dicitur *Concilium Epiſcopale*.

Provincialem convocat Synodum Metropolitanus, Leo Mag. in *Ep.12. cap.7.* in *Ep.13. cap.2.* Ei adeſſe debent Epiſcopi Conprovinciales, *Can.20. Antioch. Synodi*; qui non ita diu appellati ſunt Suffraganei; quod forte cum ſuo Metropolitano in majoribus negotiis ſuffragium dent in ea Synodo Provinciali. Eaque perfecta dicitur, cum Metropolitanus ei præeſt, *Can.16. Ibidem.* Nicolaus I. & alii quidam contendebant olim, Synodum illam ab eo convocari non poſſe, niſi ex authoritate Summi Pontificis, ſed rectiſſime Agobardus Lugdun. *lib.de diſpenſatio. num.20.* ea duplici ratione ſententiam illam impugnat. Prima eſt, quod Sacri Canones non tantum permittant, ſed & jubeant Metropolitano, ut certis temporibus ſuam hanc Synodum habeat: altera eſt quod ita ſequeretur, doctrinas & expoſitiones S. Ambroſii, aliorumve Metropolitanorum, nec etiam eſſe recipiendas, quod iis docentibus non adſit Romanus Pontifex. Sane aliquando extra ordinem, & neceſſitate cogente, hujuſmodi Concilium convocare poteſt, ac nihil frequentius, quam ut vel ipſe præfuerit, vel ejus Legatus.

Denique Diœceſanus Epiſcopus ſuam Synodum convocat, eique vulgo adſunt omnes ejus paræciales Presbyteri; & quidem *inſtanter & inexcuſabiliter*, ut nominatim dicitur in *Can.40. Synodi Romanæ*

ſub Leone IV. omnes inquam,& Urbani & Suburbani, & Rurales omnes indifferenter, ut eſt in Breviario ejuſdem Synodi & Canonis apud Lucam Holſtenium in Collectione Romana. Imo & quidam Abbates & primi ordinis Clerici huic adeſſe tenentur, ut ſuo loco videbimus; eaque Synodus dicitur Diœceſana & Civitatenſis, in qua Epiſcopus facit varias inquiſitiones de Clericis & Laicis, ut videre eſt apud Reginonem, Burchardum, & alios.

Habendi Concilii generalis forma, quam ſtatuit Concilium Toletanum IV. indicat, quinam ei adeſſe debeant. Corona fit ex ſedibus Epiſcoporum; Presbyteri ab eorum tergo ſedent: Diaconi ſtant in eorum conſpectu: Ingrediuntur illi laici, qui electione Concilii meruerint. Iis quidem aderant olim Laici: & hinc *Actorum cap.* 15. *Seniores cum omni Eccleſia, & cum omni plebe*, ut eſt in Indice Illiberitani Concilii. *Cum ſtantibus laicis*, ut eſt in *Epiſt.* 31. inter Epiſtolas S. Cypriani; non ut votum, aut ſuffragium emitterent, ſed ut audirent ac defenderent Decreta Conciliorum. Poſtea Honorati tantum Laici adfuerunt, & Magiſtratus Municipales, qui Epheſino & Calchedon. Concilio adfuerunt, ſicut & omnibus fere Toletanis, ut paſſim docet Rodericus Toletanus: ac tandem omnes fere ab iis exularunt, præterquam Legati Principum.

In Conciliis agitur de fide, & de moribus ac diſciplina. Conſtitutiones de fide dicebantur olim διατυπώσεις definitiones, anathematiſmi, & exſcribebantur in actis aut Synodalibus Epiſtolis: quæ erant

de

de disciplina, proprie dicebantur Canones, in quibus nihil omnino de fide: & hinc in Antiquis Codicibus Canonum nihil de fide legitur, sed invaluit fidem & disciplinam in Canonibus expendi. Semper de utraque Constitutiones oblatæ fuerunt Principibus, ut ab iis confirmentur, & pœnæ seculares instituantur contra contumaces; ac sæpius, ut quæ ad disciplinam pertinent, ab iis examinentur.

Denique Canones & ad fidem & ad disciplinam pertinentes, non tantum in Oecumenicis Conciliis fieri possunt; sed etiam in Nationalibus & Provincialibus, contra quam docet Gratianus initio *dist.* 18. Nam & in iis multo plures damnatæ sunt hæreses, quam in Generalibus. Et in omnibus Canonum Codicibus omnes illi Canones promiscue exscribuntur. Ac tandem in Concilio Toletano III. Anathema fit, qui Concilia Orthodoxorum Episcoporum non recipit. Sed Provincialia sensim exoleverunt, & quod S.P. Majorum Causarum cognitionem sibi vindicavit, quæ olim ad ea pertinebat; & quod appellationes ab eorum judiciis indistincte admiserit; ac tandem quod illi ipsi Episcopi verebantur & fugiebant severam eorum Conciliorum disciplinam, animadversionem, & censuram.

TITULUS III.

De Constitutionibus Summorum Pontificum.

IDeo Justinianus dixit: *quod Principi placuit, legis habere vigorem*, quia lege regia, quæ de ejus Imperio lata est, *populus Ei & in Eum omne suum Imperium concessit*. Ita & Rom.Pontifex semper habuit Juris constituendi potestatem; cum Christus Dominus dixit Petro, *Pasces oves meas*: & alibi, *Confirma fratres tuos*. Sicque frustra sunt, qui volunt, primum eam potestatem sibi vindicasse Gregorium VII. in *dictatis cap.7.* quique contendunt, eam Sedi Apostolicæ concessam fuisse a Valentiniano III. in *Nov.24.* Nam ibi jus illud tueri tantum & confirmare voluit; & diutius ante eum Imperatorem a Summis Pontificibus edita sunt decreta, quæ vim legis ubique habuerunt, ut mox videbimus.

Constitutionis verbum generale est, ait Theophilus ad Justinianum, ut illud omne jus contineat, quod Princeps statuerit, ac potissimum Decreta & Decretales Epistolas. Idem & de S.P.ut ea etiam omnia edere possit. Sed cum ex disciplina Ecclesiastica *Novos constituere Canones non liceat, nisi multis & in unum congregatis Primi Ordinis Sacerdotibus*, ait Facundus Hermianensis *lib.12.cap.3.* Rom. Pontifex olim sua decreta solus non faciebat; sed convocato Concilio vicinorum Episcoporum, Leo Magnus in suis *Decretis cap.13.* & Julius I. in *Epist.*

ad

ad Orientales apud S.Athanaſium in Apologia 2. qui eleganter dicuntur *Epiſcopi Diœceſanorum S.Sedis Apoſtolicæ*, in ſubſcriptione cujuſdam reſcripti Apoſtolici, in *vita S. Anſelmi Nonantal. Abbat. apud Mabilonium*. Quod poſtea fieri cœpit ex conſilio Cardinalium.

Quamvis autem Decreta illa pro Canonibus haberentur, & ſumma cum veneratione reciperentur ab omnibus Epiſcopis, nec modicam Juris authoritatem haberent, vel etiam ante Dionyſium Exiguum; attamen nulla ex iis in antiquiſſima Collectione Canonum extant. Primus ille ſub Juſtiniano, ad *calcem ſui Codicis Canonum*, ſincera quædam Decreta Summorum Pontificum addidit, quaſi ſuperiora non ſatis eſſent probatæ fidei. Poſt eum omnes alii Collectores ea promiſcue cum aliis Canonibus exſcripſerunt. Nec dubitaverim, ea etiam appellari Conſtituta in *lib.diurno Rom. Pontif.* & apud Anaſtaſium in *Bonifacio III.*

Sunt etiam Decretales Epiſtolæ Summorum Pontificum, de quibus quædam in proœmio. Ita forte differunt a Decretis, quod ea ſint generales Conſtitutiones in Concilio Epiſcoporum editæ à Summis Pontificibus, & pro Canonibus habeantur in omnibus cauſis, etiamſi non ſint in corpore Juris, ut pluribus probat Gratianus in *diſt.* 19. & 20. Decretales autem ſint tantum ſingularia quædam eorum reſcripta pro certis quibuſdam cauſis. Sicut vero in antiquo Jure civili quæ ad privatorum libellos a Principe impetrata ſunt, in ea tantum cauſa vim

legis habent, ad quam petita ſunt, perinde ac ea quæ ad relationem aut conſultationem Magiſtratuum edita fuerint, *l.9. Cod.Th.de div.reſcrip.* Sed Juſtinianus voluit, ut quælibet Reſcripta Principum in omnibus ſimilibus cauſis robur haberent generalium Conſtitutionum, ſi modo relata ſint in ſuo Codice, *l.un. §.pen. de No. Cod. fac.* Ita & in jure Canonico Decretales Epiſtolæ in iis quidem cauſis vim legis habent, pro quibus editæ ſunt; ſed ita demum in aliis, ſi quidem in ea Collectione extent, quæ & Apoſtolica authoritate confirmata ſit; & hoc non tam ex propria earum virtute, quam ex ea confirmatione.

Poſteriores Canonum Collectores Epiſtolas illas eodem Jure habuerunt, ac Decreta, ut etiam eas in juis Collectionibus inſeruerint. Sæpiſſime a Summis Pontificibus mittuntur ad Prælatorum aut etiam privatorum conſultationem aut appellationem: ſed Gregorius IX. quamplures edidit proprio motu, & abſque ulla conſultatione.

TITULUS IV.

De Dictis aut Sententiis Sanctorum Patrum.

SAncti Patres proprie dicuntur, in quorum ſcriptis fidei veritas non vacillat, *Can.34.Meldenſis Concilii:* qui Sacram & Apoſtolicam doctrinam nobis veluti per manus tradiderunt in ſuis ſcriptis, & probati fuerunt in Catholicis Conciliis, Vincentius

Li-

Lirin. in *Commonit.* 1. Quantum ad *νομοθεσίαν* cum veteribus Juriſconſultis comparari poſſunt: nam & eorum ſententiæ, quamvis non habeant vim & authoritatem Scripturæ, ait *S. Aug. in Ep.* attamen pro Canonibus haberi cœperunt, cum diuturno uſu & longo tempore ab Eccleſia receptæ & veluti conſecratæ fuerunt. Unde Photius eleganter in *præfat. Nomocanonis* ait, *eas quodammodo Canonis formam præſtare poſſe.*

Eorum ſententias in ſuis Canonum Collectionibus non habebant Veteres, quaſi pro Canonibus haberi non poſſent dicta privatorum & ſingulorum, ut ex Gregorio Nyſſ. & Baſilio Magno refert Photius in *eadem præfat.* & *tit.* 1. *cap.* 4. Primus ex Græcis Theodoretus, circa *annum* 451. ſuæ Collectioni addidit Canones ejuſdem Baſilii, ac potiſſimum ex ejus *Epiſtola ad Amphilochium*. Ex Latinis primus forte Regino Abbas Prumienſis ſub finem noni ſeculi in ſua Collectione (quam inſcripſit *libros de Eccleſiaſt. diſciplinis*) dicta SS. Patrum exſcripſit: & eum ſequuti ſunt Burchardus, Ivo, & Gratianus, ea forte ratione moti, quod cum ſententias illas in ipſis etiam Conciliis in medium proferri viderent, ait Vincentius Lirin. in *Commonitorio* 2. eas quoque inter Canones referri poſſe putarunt.

Leo IV. in *Can.* 1. *diſt.* 20. ad eas recurrendum eſſe ait in novis negotiis, quæ nec Conciliorum Canonibus, nec Conſtitutionibus Pontificum definita ſunt, & ut addit Photius, ſi obſcura Canonum verba exponant. Rectiſſime tamen Gratianus ait, ſententias illas prævalere Conſtitutionibus Pontifi-

cum

cum, ubi agitur tantum de Interpretatione Sacræ Scripturæ: ſola enim eruditione opus eſt, quæ ſæpius in Sanctis Patribus major occurrit, quam in Summis Pontificibus. Sed ubi de judiciali alicujus negotii definitione agitur, ſententiis illis prævalere Conſtitutiones Pontificum; quia non tantum doctrina, ſed & poteſtate opus eſt, quæ iis competit, non Sanctis Patribus.

Ac tandem, cum Gratianus multis Canonibus ſolam hanc inſcriptionem addit, *Ex dictis S. Auguſtini aut S. Hieronymi*, ac vix reperiri poteſt ex quonam utriuſque libro ea deſumta ſint, cum Contio ad *Can.* 13. *de conſecr. diſt.* 2. dici poteſt ab Iſidoro collectum eſſe librum ex dictis Auguſtini (idem de Hieronymo) ex quo Gratianus Canones illos deſumſit. Mabilonius in *Analectis tom.* 1. docet plures editas fuiſſe Collectiones ex libris S. Auguſtini, ſicut & hodie ſub certis titulis collectas habemus ſententias Gregorii Magni, & flores S. Bernardi, & multo plures exemplo Gratiani utuntur iis Collectionibus, nec ad fontes recurrunt.

TITULUS V.

De Conſtitutionibus Principum.

DEnique hodierni Juris Canonici partem faciunt quædam Conſtitutiones quorundam Chriſtianorum Principum; atque etiam ſententiæ quædam veterum Juriſconſultorum, Antiqui Collectores Canonum

nonum eas omnes prorſus omiſerunt, quaſi de rebus Eccleſiaſticis ferri, aut ad eas pertinere, non potuerint. Sed cum Priores Chriſtiani Principes eas etiam tractare, & Canones confirmare & exequi cœperunt, Canoniſtæ cum iis collegerunt & contulerunt eas leges. Chiffletius præfationi Canonum Fulgentii Ferrandi addit *Conſtitutionem Theodoſii & Valentiniani*, quam non habent editiones Juſtelli & Altaſerræ. Sed ea ſuſpecta eſt; & quod ſimpliciter miſſa ſit ad *Virum*, quod eſt abſurdum; & quod edita dicatur Theodoſio decimum-tertium & Valentiniano tertium Conſulibus:quo tempore nullatenus occurrit Præfectus Prætorio in Chronologia *C. Th.* a Cujacio & Gothofredo edita,ac tandem vix unquam Præfectus Prætorio abſque dignitate ponitur.Sicque Conſtitutio illa huic Collectioni a Ferrando præmiſſa non præſumitur.

Primus ergo ex Græcis Joannes Scholaſticus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſub Juſtiniano ſcripſit Nomocanonem, id eſt, librum in quo Canones & iis convenientes leges exſcribuntur:vel ut alii volunt, cum Theodoretus Cyri Collectionem Canonum in 50. titulos digeſſit, Joannes ille Scholaſticus Collationem legum, & præcipue Novellarum Juſtiniani, adjunxit. Poſt eum Photius edidit etiam Nomocanonem. Ita quoque Latini Veteres in ſuis Canonum Collectionibus non meminerunt Imperialium Conſtitutionum. Primus Regino non tantum retulit Rom. leges, ſed etiam multa ex Capitularibus ſeu Conſtitutionibus Caroli Magni & Ludovici Pii,

quas

quas Anſegiſus Abbas,& Benedictus Levita,in 7. libros ſatis confuſe, non multum antea compilaverant. Eum ſequuti ſunt Ivo Carnot. & Gratianus, necnon etiam Burchardus . Cumque inter eas Conſtitutiones referunt quaſdam Ethnicorum Juriſconſultorum leges, dicendum eſt eas exſcribi ex corpore Juris Civilis, quod Juſtinianus Imperator Chriſtianus edidit; cujus Conſtitutiones ab Eccleſia recipi & probari, ait Hincmarus Remenſis.Et obſervandum eſt,quod cum Abbo Floriac.Abbas in ſuis *Canonibus cap.* 11.& 14. laudat aut exſcribit leges , rectiſſime quidem notat Mabilonius in *Analectis to.2.* illud omnino intelligendum eſſe de *Novellis* Juſtiniani ; ſed addere debuit, ſecundum verſionem Juliani Anteceſſoris Conſtantinopolitani , ſicut etiam occurrit paſſim in aliis Canonum compilationibus.

Cur vero Imperiales Conſtitutiones ita cum Canonibus exſcriptæ ſint ? Rationem hanc affert Sebaſtianus Brantius in *præfatione ad Panormiam Ivonis Carnot.* Et quia Sancti Patres de ſpiritualibus pluſquam de temporalibus differuerant ; idcirco ex librisDigeſtorum,Codicis,Conſtitutionibus Authenticorum, leges Juriſconſultorum & Imperatorum interpoſuit, nempe Ivo Carnot.

TITULUS VI.

De Jure non Scripto.

CONſuetudo eſt Jus, quod moribus conſtitutum dicitur, & ex non ſcripto deſcendit, *l.*32.& 33. *ff. de legib.* Eſt Jus, quod diuturni mores utentium conſenſu comprobati abſque ullo Scripto introduxerunt. Sed in Jure Canonico Jus non ſcriptum ex traditione, & conſuetudine conſtat, *Can.*8. *diſt.*11. S.Auguſtinus in *Epiſt.*118. & 119. utramque ſeparat, & ait, *Traditionem eſſe regulam aut diſciplinam, quæ non ſcripta, ſed tradita toto terrarum orbe cuſtoditur, & in univerſa quacumque ſe diffundit Eccleſia.* Nec dubitat, quin ea profecta ſit ab Apoſtolis, qui eam nobis, per quædam, veluti fideicommiſſa reliquerunt, ait Arnobius *lib.*6. *adverſus gentes*. Unde S. Baſilius ad *Amphilochium cap.*29. *Apoſtolicum eſſe, ait, perſeverare in non ſcriptis traditionibus Eccleſiarum*, ait Petrus Venerabilis *lib.*1. *Epiſt.*2. *Et ad quamcumque veneris Eccleſiam, ſervandi ſunt ejus mores, ut vitetur ſcandalum, atque etiam pro eorum ſocietate, cum quibus vivis*, ait Auguſtinus in *Epiſt.*86. *Nec propter varias illas conſuetudines ab Eccleſiæ pace & unitate recedendum eſſe*, ait Cyprianus in *Epiſt.*75. *Cum nihilominus ſemper una ſit fides, univerſa ſemper Eccleſia*, Stephanus Torn. *l.*3. *Epiſt.*8.

Sed ut Conſuetudo ſervetur, ratione ſubnixa

ſit

ſit neceſſe eſt, & veritati conſentanea. Nam inquiunt Auguſtinus & Gregorius Magnus, Chriſtus Dominus dixit, *Ego ſum veritas*, non etiam, *Ego ſum conſuetudo*. Propterea requiritur, ut nec ſit contra fidem, nec contra Sacros Canones, nec contra bonos mores; & ut diuturno uſu comprobata ſit, qui forte eſt 40. annorum, *Cap.25. Ext. de V.S.* Et aliquando firmata contradicto Judicio, *l.34. ff. de legib.* Ac licet in ſcriptis redigatur, ſemper tamen ab ipſa origine dicitur Jus non ſcriptum, ſicut & traditio, quamvis conſignata ſit in libris Sanctorum Patrum.

Denique conſuetudo legem imitatur, & quod Jus novum inſtituit, & quod antiquam legem tollit & abrogat: quod tamen ita intelligendum, ſi vel potior ſit ejus ratio, quam legis; vel ſi ratio legis ceſſet, aut deficiat, nec ſit ampliusReip. utilis: quamdiu enim ratio legis militat, non ea vis eſt Conſuetudinis, ut eam rationem & legem vincat, *l.2.C. quæſit longa conſuetudo.* Quamdiu per cauſam publicam nihil intervenit, *l.1.C. Th. de lon. Conſ.* id eſt, quamdiu nova quædam publica utilitas non emerſit, quæ legem illam abrogari poſtulet.

TITULUS VII.

De Jure Perſonarum.

OMne Jus quo utimur (etiam Canonicum) vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Cumque hominum cauſa conſtitutum ſit, de

iis

iis statim agendum est hoc *Libro primo Institutionum*: *Secundo*, *De Rebus seu Bonis Ecclesiasticis*: *Tertio*, *De Actionibus seu Judiciis etiam Ecclesiasticis*. Eam divisionem sequutus est Antonius Augustinus Juris Canonici peritissimus in *Epitome Juris Pontificii*. Sicut autem in hoc eodem titulo apud Justinianum de potestate & dignitate personarum non agitur, an aliquis sit Magistratus, an Patricius, an Plebejus ita & hic non agitur de iis majoribus Clericis, qui personatum habent, aut personæ dicuntur suarum Ecclesiarum, quod eas repræsentent, aut in iis primi sedeant.

Igitur, de Jure Personarum, idest, de statu & conditione eorum, qui Juris Canonici communionem habeant, quales sunt Christiani Catholici. *Nam quæcunque dicit lex, iis tantum dicit, qui sunt in lege; quique jugum Christi non subeunt, nec etiam leges Domini norunt*, ait S.Basilius ad *Amphilochium cap.*20. Unde Judæi, Ethnici, atque etiam Hæretici *nullum Jus capiunt Christianarum litterarum*, ait Tertullianus *de præscript. adv. Hæret. cap.*34. Ideoque vix pertinent ad Jus Canonicum, nisi ut ab eo declarentur, condemnentur, & ejiciantur.

Jus Canonicum, perinde ac Jus civile, summam seu primam hanc personarum divisionem agnoscit, ut illi omnes Christiani aut liberi sint, aut servi. Nec enim Christus venit mutare conditiones, ait S.Hieronymus in *Epist.ad Ephes.cap.*6. liberos non fecit de servis, S.Augustinus in *Psalm.*124. quibus agendi & vivendi regulas dedit: & post eum Apostolus. Sed

& Jus

& Jus illud eos etiam homines pro ſervis habet, qui alieno dominio contra naturam ſubjecti ſunt. Nam ait Hieronymus ibidem: *Non natura ſervitium dedit, ſed captivitas fecit*: Et Theophilactus ad eundem locum: *Deus a principio ſervilem conditionem non creavit, ſed ſicut leges hominum*; quaſi cum Romanis Juriſconſultis dicerent: ſervitus eſt contra naturam, & a Jure gentium introducta, quod ſæpius illa ipſa etiam Eccleſia veneratur, & recipit, *Can.9. diſt.1.* Unde tot Sacri Canones & de ſervis privatorum, & de ſervis publicis, & de ſervis Eccleſiarum, quos habebant in dotem, ſicut & de variis eorum omnium manumiſſione, ſeu datione libertatis. Singularem ejus ſpeciem Conſtantinus Magnus introduxit, quæ fuit in Eccleſia, & dandi directam libertatem, ac Civitatem Romanam, *l.1. Cod. Th. de manumiſſ. in Eccleſ.* Eam quoque probarunt Africani *Canones* 64. & 82. in ſuo *Cod.*

Quandonam inter Chriſtianos abrogata ſit ſervitus, non ſatis conſtat. Ejus adhuc veſtigia occurrunt circa ſeculum decimumtertium, in *Titulis Decretal. de ſervis non ordin. de conjug. ſerv. de natis ex lib. ventre.* Quæſtionem illam expendit accurate Bodinus noſter in ſua *Repub. lib.1. cap.5. circa fin.* Et ita breviter rejicienda eſt eorum opinio, qui aſſerunt, Eccleſiam, præcipue vero Gallicanam, omnino ignoraſſe ſervos, de quibus tamen in ejus Canonibus toties agitur, & in ipſis etiam Decretalibus. Nec alia Manumiſſionum Exempla illis obtrudere juvat, quam quæ ſunt noſtræ Andegavenſis Eccleſiæ.

siæ. Aliud in Ecclesia Sancti Albini referunt Petrus Pithœus & Janus a Costa: duo in Ecclesia Sancti Laudi (quæ vetustiora esse non possunt) Magnus Bignonius ad *Marculfum*: aliud in Cœmeterio S. Joannis Baptistæ, hodie S. Juliani. Ea plus satis evincunt servos diutius egisse in Gallia: in iis præcipue tractantur Ordinatio & Conjugium, de quibus suo loco.

TITULUS VIII.

De Laicis.

DIximus de servis inter Christianos, quatenus pertinent ad Jus Canonicum: nunc de liberis hominibus. Inter eos Jure Civili multæ sunt differentiæ; aut enim sunt Ingenui, aut Libertini. Sed rectissime Magnus Bignonius ad *formulas Marculfi* notat, Ingenuitatis & Libertinitatis differentias in Ecclesia sensim abiisse in desuetudinem: diutius quidem remanserunt Liberti & Patroni, *Can. 5. dist. 54.* sed Libertinitatis conditio in usu esse desiit, præcipue vero cum manumissio fieri cœpit in Ecclesia.

Sequitur ergo alia divisio personarum, quod omnes Christiani Catholici, sunt aut Laici, aut Clerici. Sicut autem Justinianus tum primum agit de potestate dominorum in servos, quod ea sit a Jure gentium; & postmodum de patria potestate, quam facit Juris civilis: ita & prius agendum de Laicis, a quibus etiam incipit Author Constitutionum Apo-

ſtolicarum. Quamvis enim iis Clerici præſtent in Eccleſia; Naturæ tamen & convenientiæ ordo methodum illam poſtulat; cum & quilibet homo naſcatur Laicus, ait Joan.Gall. *quæſt.*30. ſed ex accidenti Clericus fiat: ſicut aliquis eſt homo, antequam Imperator, *Tertull. Apolog. cap.*30. atque etiam valde convenit poſt generalem titulum *de Clericis*, ſigillatim καὶ ἀκολουθῶς plures alios ſubjicere, qui ad eundem tractatum pertineant,

Forte quidem naſcentis Chriſtianiſmi temporibus, fideles omnes dicebantur Clerici. Hoc ſubindicare videtur ea ipſa notatio verbi: nam eſt a verbo Græco κλῆρος, quod eſt ſors & hereditas: omnes autem fideles ſunt conſortes & coheredes Chriſti, unde & promiſcue dicuntur Clerici in *Ep.*1. *S.Petri*. Ita tamen ut ex iis quidam eſſent ἐν τῷ φωτὶ, ait Apoſtolus ad *Coloſſ.cap.*1. in lumine, in cognitione Chriſti, ad quam ſolam vocati erant: quidam Clerici διακονίας Miniſterii, *Actor. cap.*1. quod præter cognitionem, Sacrum aliquod Miniſterium haberent in Eccleſia. Sed cum poſtquam ejus authoritas differentiam conſtituit inter plebem & ordinem, duo prodierunt genera Chriſtianorum, ut alii generis ſibi nomen vindicent, & ſpecialiter dicantur Clerici; alii vero Laici, quod ſint ex populo, a verbo Græco λαὸς, quod eſt populus, *Can.duo ſunt* 12. *quæſt.*1.

Cum autem ubi tres ſunt, etiam Laici, Eccleſia ibi ſit, ait Tertullianus, nec ejus leges ſolis Clericis, ſed omnibus Fidelibus ſcriptæ ſint, unicuique

in

in eodem ordine, in quo Deus eum inſtituit, *lib.2. Can.7. Pariſ.Concilii ſub Ludovico & Lothario*: in multis Conciliis ſpeciales quidam Canones pro Laicis editi ſunt; & ita pertinent etiam ad Jus Canonicum. Ideoque Martinus Bracarenſis, Burchardus, Ivo, & alii, de iis ſeorſim quoſdam titulos habent in ſuis Canonum collectionibus, ſicut & Photius, & Harmenopulus in *Epitome Canonum ſect.5.* Conſtat vero eos diverſarum eſſe conditionum, *cap.1. Cabilon. Concilii ſub Carolo Magno*. Et ut innoteſcat quid juris obtineat in iis ſingulis, Ivo Carnot.in Decreti ſui *parte* 16. eorum cauſas & officia expendit. Burchardus Wormac. *librum* 15.*Decretorum* generaliter inſcripſit *de Laicis*, & illud ejus argumentum præmittit: *Hoc Libro de Laicis omnis conditionis tractatio inſtituitur, tam de iis qui præſunt, ut Imperatoribus, Regibus, Principibus, quam de his, qui horum imperio ſubjecti ſunt*. Gratianus multa paſſim de iis omnibus interſerit. Sed hic breviter expendendæ ſunt tres eorum Claſſes, ut alii ſint Principes, alii Honorati, alii Vulgares, aut Plebeji, quos omnes ad ſuam curam pertinere volunt Sacri Canones.

Et primo quidem nulla lex, nullave religio, tantum tribuit Imperatoribus & Regibus, quantum Chriſtiana. Unde cum caverunt Apoſtoli, *Ut omnis anima ſublimioribus Poteſtatibus ſubdita ſit*: S.Chryſoſtomus addit, *vel etiam Epiſcopus, vel etiam Pontifex*. Cum admonet Apoſtolus, *Nos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, & dicto obedire*: Iſido-

rus Peluſiota *lib.* 1. *Epiſt.* 48. *ad quendam Presbyterum*, jubet ei obedire Presbyteros, qui tenet Imperium, modo nihil detrimenti ad pietatem afferat. Et hinc nihil frequentius in Sacris Canonibus, quam obedientia Regibus debita, etiam ab Epiſcopis.

Secundo, Reges cognoſcunt de rebus ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentibus; hinc de iis tot Conſtitutiones & Capitularia Regum noſtrorum. Sacri Canones & Sancti Patres docent, Eccleſiam duplici poteſtate gubernari, Pontificia & Regia, ut Pontifices & Reges Eccleſiaſticam diſciplinam tueantur, & regant. Cum Regius Propheta dixit, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus*: Petrus Bleſenſis in *ſerm.* 33. illud accipit de Eccleſia & Eccleſiaſtica diſciplina; *Nam non eſt Regis aliquid novi ſtatuere de fide*, ait Gregorius VII. *ad Ducem Venetiarum*.

Tertio, Clerici ſubjacent Regiæ Juriſdictioni, ut videbimus *libro tertio*.

Quarto, Principes tuentur & curant Eccleſiaſtica bona; de iis, eorumque controverſiis cognoſcunt, & leges condunt: ac Summi Pontifices fatentur Chriſtianiſſimum Regem in temporalibus nullum habere Superiorem: quod omnino etiam in iis obtineret, quæ ſunt Eccleſiæ. Carolus Calvus in ſuis *Capitulis* ait, res Eccleſiæ Regibus commiſſas eſſe ad tuendum & protegendum. Electiones Epiſcoporum & Abbatum fieri non poſſunt abſque eorum conſenſu. Sede vacante omnia fere Beneficia Eccleſiaſtica con-

conferunt : quæ omnia ſuis quibuſque locis enucleabuntur .

Ac tandem cum Chriſtus Dominus agens de tributis , *reddi juſſit Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*, conſtat Eccleſiam ſubeſſe Principibus vel etiam quantum ad rem tributariam , niſi ab iis reddatur immunis : ita tamen ut eam agnoſcere non teneatur ex quotidianis eleemoſynis ; nam Chriſtus Dominus ex iis Cæſarianum tributum ſolvere noluit,ut docet S.Hieronymus ad *Math. cap.17. in fin.* Sed cum Clerici per jura Regum magnas poſſeſſiones habere cœperunt , *non poßunt ut Regi de iis obſequium & auxilium non exhibeant*, ait Hincmarus Remenſis in *Epiſt.9.*

Sunt etiam Honorati , qui nempe honores, ſeu Magiſtratus gerunt , aut geſſerunt , dicti paſſim Civitatum Primates , juncti cum Senatoribus & locupletioribus apud S.Ambroſium .

Sane ſub Imperatoribus Ethnicis jubebat Eccleſia , ut Chriſtianus ea ſe abſtineret , quamdiu gereret Duumviratum ſeu Magiſtratum Municipalem,*Can.56. Illiberit.Concilii*: aut utique cogebat eum accipere litteras comminatorias,*primi Arelatenſis Concilii Can.7.* tum quia Imperatorum idololatriæ communicare videbatur,qui ab eo Magiſtratum accipiebat,ait Tertullianus in *lib.de idololatria*:tum quia tempore ſui Magiſtratus quædam facere tenebatur,quæ propius ad Idololatriam accedebant.Sed cum Pax Eccleſiæ data eſt, ſemper ea coluit & honoravit Magiſtratus tanquam Dei Miniſtros, quorum ope & præſidio in dies egere

potuit. Nec tantum eos: ſed etiam proceres & principales Civitatum, *C* 97. in *Cod. Can. Eccleſ. Afric.* qui ſæpius Prælatorum Electionibus & Conciliis etiam Oecumenicis adfuerunt olim.

Tertio in Eccleſia eſt multitudo (ea voce utuntur acta Apoſtolorum) ſunt vulgares aut plebeji homines. Olim etiam ad Electiones Prælatorum admiſſi videntur. Jubent paſſim ſacri Canones, ut erudiantur; eoque pertinet totus liber primus *Conſtitut. Apoſtol.* Quod etiam fuſius exequitur Jonas Aurelianenſis Epiſcopus in *libris de laicali Inſtitutione*. Ut Eccleſiam colant, ejus Præcepta ſervent; & potiſſimum ut ea curet, ne a potentioribus vexentur & opprimantur.

Ac tandem Virgines, Mulieres & Viduas ad ſacros etiam Canones pertinere, docent omnes laudati eorum Collectores Græci & Latini. Ac licet cavendum doceat S. Hieronymus *lib.* 2. in *Eſaiam cap.* 3. ne dominentur in Eccleſiis, & de Sacerdotali gradu favor judicet fœminarum; attamen in iis non uno gaudent honore: pleraque Jura & munia iis conceſsa ſunt, ut vel etiam viris aliquando præſint; qua de re videndus omnino Petrus Abælardus in *Epiſt.* 1.

TITULUS IX.

De Clericis.

EX omnibus Chriſtianis, in Eccleſia potiores ubique ſunt Clerici. Undenam ea denominatio, dictum eſt ſupra. In *Cod. Th.* paſſim atque in quibuſdam Canonibus dicuntur Eccleſiaſtici, quod ſerviant Eccleſiis, *l.* 104. *eod. Cod. de Decur.* & in *l.* 29. *Ibid. de Epiſ. Eccleſ. & Cler.* Sed & Chriſtiani ſimpliciter ponuntur pro Clericis in *l.* 50. *eod. tit. de Decur.* Forte propter votum Chriſtianæ legis, *l.* 16. *eod. Cod. de Epiſ.* vel ut legit Gratianus, Chriſtianæ Religionis, quod hi præ ceteris obſervare videntur. Et hinc Chriſtianitas pro Clericatu in *d. l.* 104. Bannum Chriſtianitatis pro foro Eccleſiaſtico. Et Chriſtianitas pro Eccleſia paſſim in *Capitularibus Caroli Calvi.*

Illud etiam eſt ex arte, ut notetur breviter quosdam improprie appellari Clericos, qui ſunt in vilioribus & quomodocunque prophanis miniſteriis, quæ tamen ſumme colit & pluris facit Eccleſia. Tales ſunt Parabolani, ſeu qui ægrotos curant, *l.* 42. *&* 43. *ibid.* Decani, ſeu Copiatæ, aut Viſpelliones, & Foſſarii, quos Imperatores vocant Clericos in *l.* 1. *Cod. Th. de Luſt. Collat.* & in *l.* 15. *eod. de Epiſc.* ſicut & S. Hieron. aut alius Author *Epiſtolæ* 13. *ad Ruſticum Narbo.* & in *Epiſt.* 49. Ex eorum etiam numero fuiſſe videntur continentes, ſeu qui cælibem vitam in hoc ſeculo profeſſi ſunt, qui forte ideo dicuntur ex *Eccleſiaſticis,*

ſticis,ut legerent in *l.*20.*ibi l.* Ac tandem apud quoſdam ſuperioris ævi Scriptores aliquando Clerici pronuntur pro literatis, & Laici pro illiteratis; quia eo tempore ſoli fere viri Eccleſiaſtici operam dabant literis: & ideo qui ex Laicis eas utcumque colebant, eos vocabant Clericos, ut in *cap. pen. Ext. de Cler. Conjug.* Guillelmus Neubrig. *lib.*4. *rerum Angliæ*: *Laici eſtis*, inquit, *ſi non poteſtis intelligere vim Verbi.* Accurſius noſter ad *l.ſolent, ff.de Off.Proconſ.* ait, Proconſulem uti debere conſilio prudentum, cum ſit Laicus, id eſt, imperitus: de iis Clericis non agitur in hoc *tit.* ſed de iis, qui proprie ita dicuntur.

Hi aliquando generaliter accipiuntur, aliquando ſpecialiter. Cum generaliter, illi omnes dicuntur Clerici, qui ſunt miniſtri Eccleſiarum, ait Severus Sulpitius *lib.*1.*Sacræ hiſtor.Qui divino cultui miniſteria religionis impendunt, l.*2. *Cod. Th. de Ep. Eccleſ. & Cl.* Eoque generali nomine ipſos etiam Epiſcopos venire,ſcribit Sydonius Apollin.*lib.*4.*Epiſt.*24. uſque ad Oſtiarium, & alios id genus, qui omnes ſimul recenſentur in Canone, ut loquuntur Nicæni & Calchedonenſis Concilii Patres, id eſt, in Catalogo Sacerdotali. In matricula Eccleſiæ veniunt etiam illi omnes, qui vel ſunt in gradu, vel in miniſterio. Generalem hanc Clericorum diviſionem affert S.Baſilius ad *Amphilochium*, *Can.*51. Eamque probat *Canon.*2. *Chalced.Concilii.* In gradu, qui nempe ordinantur per manus impoſitionem, puta Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, Balſamon addit Subdiaconum:

In

In miniſtris, qui proprie non dicuntur ordinari, ſed tantum promoveri per ſolam ſignationem Crucis, Orationem, & Benedictionem, quales ſunt, inquit Balſamon, Lectores, Cantores, Janitores, Oeconomi, & ſimiles; qui nempe apud Græcos proprie non erant Clerici, ſed tantum erant in miniſterio. Et ideo tantum dicuntur Clerici, quia ſunt in eorum aut Eccleſiæ matricula. Ac tandem continentur etiam & Sacrati & Inſacrati Clerici, Majores & Minores, Seculares & Regulares, qui omnes quales ſint mox videbimus.

Specialiter accepti Clerici aliquando Inferiores tantum continent, ut paſſim occurrit in *Laodicena Synodo*: qui ſimpliciter dicuntur Miniſtri apud Optatum Milevitanum *lib.*1.*contra Parmenianum*,& ſimpliciter Clerici, ut in *l.*7.*Cod.Th.de Epiſc.* Aliquando continent omnes plane Clericos,exceptis Epiſcopis, ut in *eod.tit.utriuſque Cod.de Epiſcopis & Clericis*. Non quod Epiſcopi non ſint Clerici, ſed quod cum ſint eorum Apices & Principes, ait Optatus *Ibidem*, ab iis merito diſtinguuntur: ſicut in Civili politia Princeps non reponitur inter Magiſtratus, quia, inquit Ammianus, celſior eſt omni Magiſtratu. Ex utraque illa Clericorum acceptione ſequitur, quod cum aliquid generaliter de Clero vel Clericali ordine conſtituitur, illud etiam ad Epiſcopos pertineat, non etiam cum ſpecialiter aliquid ſtatuitur de Clericis.

Majores autem & Minores Clerici vel ab ordine vel dignitate dicuntur. Ordine, puta, Epiſcopus,

Pres-

Presbyter, Diaconus, passim dicuntur Majores, & ideo primi sunt in *l.*24. *Cod. Th. de Epis.* quod superiorem locum habeant in Ecclesia, & in Canone, *l.*10. *eod. Cod. de fide instrument.* Sunt etiam Minores ab ordine, qui dicuntur Ministri Inferioris loci in *l.*41. *Cod. Th. de Epis.* Quinam illi sint, dissident Græci & Latini, ut suo loco videbimus. A dignitate, sic Episcopus est Antistes Primi gradus, Archidiaconus est Antistes Secundi, apud Sydonium Apollin. *lib.*4. *Epist.*11. & 25. Apud eundem Optatum Episcopi sunt Principes & Apices omnium Clericorum; Presbyteri sunt in secundo gradu; Diaconi in tertio; alii sunt Ministri. Qui dignitatem habent in Ecclesia, dicuntur Majores Clerici, & iis Minores debent obedientiam, de qua in titulo Decretalium *de majoritate & obedientia*.

Denique sunt Seculares & Regulares Clerici. Olim quidem Monachi plurimum differebant a Clericis, ut suo loco videbimus; sed cum ad Clericalem ordinem promoveri cœperunt, invaluit ea divisio. Seculares sic dicuntur, quod non sint omnino extra mundum, ait Glossa ad *tit. de Regular.* quod Veteres etiam Christiani seculum dixerunt; seu quia currentis temporis desideria & studia non omnino reliquerint: Regulares, quod a seculo remoti sub certa regula vivant. Et hinc secularia aut regularia Beneficia, quæ his aut illis Clericis deputata sunt.

TITULUS X.

De ordinatione Clericorum.

SIcut Chriſtiani non naſcuntur, ſed fiunt, ait Tertullianus *de teſtimonio animæ*, *Cap.*1. *in fin.* puta per Baptiſmum: unde cum *Apolog. cap.*17. animam vocat naturaliter Chriſtianam, hoc nihil aliud eſt, quam ab ipſamet natura Chriſtianæ legis mente, principiis moribus & regulis imbutam, atque etiam de unitate Dei certiorem: Ita & Clerici non naſcuntur, ſed fiunt, ait Innocentius I. in *Ep.*3. *cap.*3. Quilibet homo naſcitur Laicus, & ex accidenti fit Clericus, ut jam olim diximus, puta per ſacram Ordinationem. Ea diſtinguitur ab Ordine: hic eſt Sacramentum; ea vero actus, quo illud confertur. Dici poteſt etiam ordinem eſſe ſtatum illum, in quo aliquis per eam ordinationem conſtituitur. Grammatici volunt proprie Sacerdotes creari. Nec verbum illud ulla ratione mutari poſſe ait Servius ad 7. *Æneid.* ſed tamen vetuſtiores Sacri Canones dicunt Ordinari Sacerdotes. Ac licet ea ipſa ordinatio ſit plane ſpiritualis, attamen Principes de iis ſtatuunt qui poſſint Ordinari vel non, & de eorum numero, paſſim in *Cod. Th.* in *Nov. Juſtiniani*, & in *Capitularibus Regum noſtrorum*.

In Jure Canonico eſt Ordinatio Eccleſiarum, eſt Ordinatio Sacerdotum aliorumve Clericorum. Prior nihil aliud eſt, quam adminiſtratio & inſtitutio Eccleſiarum,

cleſiarum, ut etiam apud Leonem Magnum in *Epiſtolis*. De ea non agitur in hoc titulo; ſed tantum de altera, quæ eſt actus legitimus, quo Prælatus alterum ex Ordinibus Eccleſiaſticis alicui confert. Actus legitimus, id eſt, valde ſolemnis, quique non niſi multis ſolemnitatibus a Jure Canonico præſcriptis expediri poteſt. Prælatus, adde cum Juriſconſultis in ſimili, qui legis actionem habeat, id eſt, qui ex Sacris Canonibus Ordinare poſſit. Eam Græci Canones vocant χειροτονίαν, Latini manus Impoſitionem, quæ proprie eſt ordinatio, conſecratio: ſic dicta, quod Pontifex manus extendat & imponat homini Ordinando, ait Zonaras ad *Can* 5. *Laodicenæ Synodi* apud Juſtellum. Eamque Apoſtoli & eorum Succeſſores habuerunt a Sanctis Hebræorum Patriarchis, qui paſſim ea utebantur in Benedictionibus liberorum, Sacrorum Miniſtrorum, Ducum, Populi, & Hoſtiarum.

Multa ſunt igitur ſolemnia Ordinationum. I. Ut fiant in Eccleſia, in medio Eccleſiæ, ait Theophilus Alexand. in *Edicto ſuo Can.* 6. quia inquit Balſamon, per myſticas preces peraguntur; quæ omnino in Eccleſia faciendæ ſunt. Et ideo accuſatus dicitur Chryſoſtomus, quod abſque altari Presbyteros & Diaconos ordinaverit; apud Photium in *Bibliot. Cod.* 59.

Faciendæ ſunt etiam publice. Olim quidem, fervente perſecutione, privatim, & aliquando in privatis domibus fiebant, ut palam eſt, ex *Epiſtolis S. Cypriani* 45. 52. 68. Sed cum pax Eccleſiæ data eſt, placuit eas fieri in præſentia omnium Clericorum

& fi-

& fidelium Laicorum, *Can.3. diſt.75.* ut qui adeſſe poterant Electioni Epiſcoporum, Ordinationi Presbyterorum, adeſſent, quæ aliquando etiam ad populi petitionem fiebat, *l.6. Cod. Th. de Ep. & Cl.* Nec tamen fieri poterat in præſentia eorum qui audiunt, ut eſt in *Can.5. Laodicenæ Synodi*: Id eſt eorum Catechumenorum, qui nondum ſatis eruditi, audiebant tantummodo Verbum Dei, nec dum petebant Baptiſmum. Ratio ea erat, tum quia nondum conſtabat utrum futuri eſſent ex Fidelibus, tum quia ſæpius a populo pleraque indigna de Ordinandis dicebantur, dum Prælatus ab eo vitam & mores eorum inquirebat: quod indecorum fuiſſet, & aliquando in opprobrium Cleri. Semper tamen palam faciendæ erant Ordinationes, non clam, non furtim. Unde accuſatus adhuc dicitur Chryſoſtomus ibidem, quod ſine teſtibus feciſſet Ordinationes.

Tertio in iis accurate inſpiciendum eſt tempus illud, quo haberi poſſint. Et hinc Bonifacius Mogunt. in *Epiſt.142.* ait legitimis temporibus & diebus Ordinandos eſſe Sacerdotes. Apud Anaſtaſium Biblioth. plures occurrunt Ordinationes variis temporibus habitæ a Summis Pontificibus. Sed Leo Magnus in *Epiſt.4. cap.6. Editionis ult.* damnat eos, qui ſolo die Dominico Epiſcopos ordinabant, & quolibet die Presbyteros & Diaconos; & addit illud eſſe contra ſacros Canones & traditionem Patrum. Utique nullos Canones laudat, quia forte in eam rem nulli adhuc erant eo tempore, ideoque ſolam traditionem laudat in *Epiſt.11. cap.1.* Cum autem ait ordinandos

non

non esse Presbyteros nisi Dominico die, hoc nullo modo probat singulis diebus Dominicis olim factas fuisse Presbyterorum Ordinationes, sed tantum iis diebus faciendas esse.

Olim etiam Presbyteri & Diaconi sæpius ordinari solebant die Paschæ, Leo Magnus in *Ep.* 11, *ejusdem Edit.* Sed postmodum sacri Canones voluerunt Ordinationes quater in anno fieri; videlicet Jejunio mensis quarti, puta Junii; septimi, puta Septembris; decimi, puta Decembris (nam olim annus etiam apud Christianos a mense Martio incipiebat) & quadragesimalis initii, *Can. ult. dist.* 75. Fieri etiam cœperunt Sabbato, a cujus Vespere initium diei Dominicæ ducitur, ut ita Jejuni a Jejunantibus ordinentur, *d. Can.* 4. *Ibid.* Cum enim Apostoli Paulum & Barnabam missuri ad prædicandum Evangelium, Jejunantes & Orantes iis manum imposuisse dicantur; placuit non ordinari Presbyteros & Diaconos, præterquam solemni præmisso Jejunio: quod ita distributum est per totius anni circulum, ut iis temporibus observetur, quibus fiant Ordinationes, *d. Can.* 4. & 6. Et hinc Jejunia quatuor temporum. Sed Minores Ordines aliis diebus Dominicis aut festivis conferri possunt uni vel duobus, *Cap.* 3 *Ext. de temp. Ordin.* sicut & Majores extra illa tempora ex dispensatione Summi Pontificis. At si quis aliorum ex Majoribus Ordinibus extra tempus illud Canonicum absque illa dispensatione acceperit, ipsum quidem Characterem accipit & Ordinem, sed ab ejus executione suspenditur, donec a proprio Episcopo restitutus fuerit, *Cap. pen. Ibid.*

Sic

Sic etiam cum Apoſtolus diſcipulum ſuum monuerit, ne cito manum imponat, Sacri Canones voluerunt ſtatim non Ordinari Neophytos, id eſt, eos qui vel recens baptizati ſint, vel recens Ordinati, ne cito ad Superiores Ordines aſcendant, ait Innocentius I. in *Decretis cap.*32. ſed ut longiora quædam Interſtitia ſeu Intervalla ſervare teneantur; & ita in quolibet ordine diutius erudiantur & miniſtrent. Juſtinianus in *Nov.*6. & 123. indicat, variaſſe tempus illud, quo miniſtrandum erat in quolibet ordine. Siricius, Zozimus, & Gelaſius in ſuis decretis ſevere obſervari voluerunt ea Intervalla, quæ ſæpius fuerunt quinque annorum, *Can.*2. & 3. *diſt.*77. Concilium Trident. *Seſſ.*23. *de ref. Can.*11. annum ſtatuit.

Præterea Gregorius Magnus *lib.*7. *Reg. Ep.*110. ait ordinate aſcendendum eſſe ad Ordines, non etiam per ſaltum, quo pertinet *tit.*1. *Decretal. de Cler. per ſalt. promot.* Verba illa (per ſaltum) jam occurrunt in Decretis Siricii *cap.*13. ſi nempe aliquis, omiſſo medio, Superiorem ordinem accipiat, puta Subdiaconus omiſſo Diaconatu, fiat Presbyter. Accipit quidem Sacerdotii ordinem & Sacramenti ſanctitatem, ait Ivo Carnot. in *Epiſt.*224. *ult. Edit.* ſed ab ejus Ordinis exercitio ſuſpendendus eſt. Ivo *Ibid.* & in *Epiſt.*185. diſciplinam hanc ſtatuit, ut, ſi in eo ſervaretur & teneretur Canonum & Juſtitiæ rigor, nec ei permittendum eſſet in acceptis inordinate Ordinibus miniſtrare, ſed ab iis omni tempore ſuſpendendus eſſet: nec ad Superiores Ordines promoveri poſ-

poſſet . Lanfrancus Cantuar. in *Epiſt.*21. & 22.ſcribit,ei auferendum eſſe Ordinem inordinate acceptum: ſed rectiſſime Dacherius addit, quantum ad exercitium . Nec in Sacerdotio miniſtrare poteſt, niſi ex diſpenſatione proprii Epiſcopi,*Can.ſollicitudo,diſt.*52. Hodie ex Concilio Trident.deſideratur Summi Pontificis authoritas,ſi quidem Ordinatus ille per ſaltum in eo Superiori ordine miniſtraverit.Sed & antequam ea diſpenſatio concedatur, prius eſt ut accipiat omiſſum Ordinem , & peracta pœnitentia , in Superiori miniſtret , ut ibidem docent etiam Ivo & Lanfrancus .

Denique ad tempus Ordinationis pertinet adhuc ætas Ordinandorum , quæ ſæpius variavit . Siricius in *Can. quicunque* , *diſt.*77. voluit , eos etiam qui ante pubertatis annos baptizati fuerint , ſociari poſſe miniſterio Lectorum : poſtea fieri Acolythos & Subdiaconos , uſque ad trigeſimum ætatis annum (ut habent optimi Codices) quo Diaconi ordinentur , & in eo ordine miniſtrare uſque ad trigeſimum quintum, quo tandem Presbyteri fiant : quod etiam probavit Juſtinianus in *Nov.*123.Idem fere Zozymus in *Can.in ſingulis* , *Ibid.* ſed quem a Gratiano valde interpolatum fuiſſe notant Romani Correctores:præcipue vero ubi habet *Acolythum & Subdiaconum fieri ætatis anno decimo quarto* , cum tamen integrum Decretum habeat : *Eum qui ab infantia nomen dederit Eccleſiaſticis miniſteriis , debere inter Lectores perdurare uſque ad vigeſimum ætatis annum* . Sed cum invaluit, parentes Eccleſiæ offerre poſſe ſuos liberos

beros adhuc Infantes, placuit iis etiam Minores Ordines cum Tonsura conferri posse, qui egressi sint Infantiam, quæ septennio concluditur, ait Glossa ad *Cap.ult.ext.de temp.ord.*& ad *cap.ult.ibidem in Clem.*

Ac tandem Næocæsar.Concilium in *Can.*12.voluit Presbyterum ordinari posse trigesimo ætatis anno, quia Christus Dominus ea ætate baptizatus est, & docere cœpit.. Et postea placuit, urgente necessitate, puta si ejus ætatis homines desint, ordinari posse Presbyterum anno vigesimo-quinto, *Can. ult. dist.*78. & apud Bonifacium Mogunt. in *Epist.*142. Quod versum est in assiduum usum ex Concilio Viennensi, & quidem ea ratione quam observat Glossa: quia cum Alexander III.in suo Lateran.Concilio statuit Paræcialem Ecclesiam iis conferri posse, qui attigerint vigesimum-quintum ætatis annum, *cap. cum in cunctis* 7. §.*Inferiora, Ext. de Elect. & Elect. potest*: & Innocentius IV. in suo Lugdunensi, eum, cui collata sit ea Ecclesia, intra annum ab ea collatione promovendum esse ad Sacerdotium, *Cap. licet* 14. *ibidem in sexto*; eveniebat, ut qui vigesimoquinto ætatis anno eam Ecclesiam obtinuerat, intra unum Sacerdos ordinari non posset, cum ad hoc desideraretur trigesimus ætatis annus:ideo Clemens V. in suo Viennensi voluit, Clericum ordinari posse Sacerdotem vigesimo-quinto ætatis anno; ut qui eo adeptus sit Paræcialem Ecclesiam, eo etiam ad Sacerdotium promoveri possit. Hoc etiam probat Tridentinum Concilium, & addit Subdiaconum ordinari posse anno vigesimo-secundo, & Diaconum vigesi-

mo tertio. Diſpenſationes ab ea ætate a certis etiam Eccleſiæ ſeculis incognitæ non fuerunt: adde *titulum* 16. *lib.*2.

Quarto, ſolus Epiſcopus Presbyterum ordinare poteſt. Olim quidem Presbyteri dicebantur etiam Epiſcopi, ut ſuo loco videbimus. Sed ſtatim invaluit, eos ita diſtingui, ut Epiſcopi ſuperiores ſint Presbyterorum. Et inter eos conſtituta eſt ea inſignis differentia, ut Presbyterorum Ordinatio ſolis Epiſcopis reſervata ſit propter authoritatem, ait Iſidorus *lib.*2. *de div.off. cap.*7. id eſt, jure dignitatis Epiſcopalis ab uno Epiſcopo ordinandus eſt Presbyter, *Apoſtolorum Can.*1. & quia uni ſubjectus eſt; & quia inconveniens etiam eſſet, Epiſcopos hinc inde vagari propter frequentiores Presbyterorum Ordinationes. Cumque omiſiſſent a quo Epiſcopo, Nicænum Concilium in *Can.*16. addidit *a proprio Epiſcopo*. Dionyſius Exiguus omiſit verbum illud, *proprio*, quod tamen habent omnes Nicæni Codices; & ſtatim retinuit Sardic. Concilium in *Can.*15.

Non conſtat, quis ille ſit proprius Epiſcopus: ſed videndum an agatur de ordinando Laico, an de eo Clerico, qui jampridem quoſdam Minores Ordines acceperit. Si de Laico, ordinandus eſt ab originis Epiſcopo, ſeu ejus Diœceſis, in qua natus eſt, *Can.*5. *Carthag. Concilii ſub Julio I.* qui quidem Canon ad eam definitionem confirmandam non ſatis apte laudat Sardic. Concilium; quippe quod non ad Laicum pertineat, ſed ad Clericum. Si de Clerico agatur; vel adhuc in ſua Diœceſi manet, vel mutavit domicilium.

cilium. Primo caſu Epiſcopus originis, proprius eſt ejus Epiſcopus. Secundo, ſi Epiſcopus novi domicilii non ſatis eum cognoſcat, non prius eum ordinare poteſt, quam ſi ab originis Epiſcopo petierit & acceperit, qualis ſit ille Clericus, & an dignus qui ordinetur, *Can.8. primi Araufi cani Concilii*. Nam ſi probe cognita ſit ejus fides, vita, & ſanctitas, ab Epiſcopo domicilii, vel etiam ignorante originis Epiſcopo, recte ordinari poteſt, ut de S.Martino, Ambroſio, & aliis legitur.

Olim etiam primæ Ordinationis Epiſcopus habebatur quaſi proprius Epiſcopus. Ut qui Minores Ordines a quodam Epiſcopo accepiſſet, alios ab eo accipere teneretur, quaſi per primam hanc Ordinationem proprius cœpiſſet ejus eſſe Clericus: qua de re diſputat S.Auguſtinus in *Epiſt.*140.& 141.Ratio ea erat, quia prior ille Epiſcopus Clericum illum ordinare non potuit, niſi ad aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis. Et hinc forte Bonifacius VIII. in *cap.pen. de temp.ord.* addidit, eum etiam haberi proprium Epiſcopum, in cujus Diœceſi Ordinandus Beneficium Eccleſiaſticum habeat. Adde forſan, & ejus Epiſcopo cognitus ſit: vix enim ordinari poſſunt ignoti, *Can.*19. *Toletan.Concilii quarti*. Ideo vero ſacri Canones adeo proprium Epiſcopum deſiderant, & quod non alius Diœceſanos ſuos melius cognoſcere præſumitur, an digni ſint; & quod nec Baptiſmo, nec Confirmatione, nec alia re magis extenditur & innoteſcit Epiſcopalis poteſtas, quam ordinatione: nulla re magis Clerici uniuntur Epiſcopo, ejusve poteſtati

ſubjiciuntur, quam ordinatione: nam Epiſcopi contendunt, eos eſſe ſuos & ſibi ſubditos, qui ab iis ordinantur, ait S.Hieronymus in *Ep.ad Jo.Hieroſol.*

Addunt ſacri Canones, niſi conſentiente proprio Epiſcopo; & conſenſus ille omnino exprimatur in literis dimiſſoriis; quæ ſic dicuntur, quod proprius Epiſcopus in iis Clericum ſuum e poteſtate ſua dimittat, eumque committat alienæ Ordinationi; dicuntur etiam commendatitiæ, quod in iis aſſeratur dignus, qui ordinetur. Sicut vero proprius Epiſcopus Clericum ſuum ordinare non tenetur invitus, ubi eum habet omnino indignum; ita nec ei dare literas dimiſſorias. Utrumque illud adſtruit S.Auguſtinus in *Epiſt.*137. & Congregatio Cardinalium aſſerit a Concilio Tridentino *ſeſſ.*14. *de ref. Can.*1. abrogatum fuiſſe *cap.*4. & 5. & ejus Gloſſam *ext. de temp. ordin.* & ademtam eſſe appellandi facultatem a recuſatione proprii Epiſcopi, quia quilibet Epiſcopus poteſtatem habet ſuæ Paræciæ pro ſuo quiſque ſtudio ac religione, ut ordinet Presbyteros & Diaconos, *Can.*9. *Antioch. Synodi*.

Quinto, cum juſſerit Apoſt.1. *ad Tim. cap.*3. ut Ordinandi probentur primum, ſacri Canones voluerunt, non prius ordinari Clericum, quam examinatus fuerit, *Can.*9.*Nicæni Concilii*,*Can.*13.*Laodic.* Eoque pertinet *titulus Decretal.de Scrut.in Ord.Fac.* In quibus conſiſtat illud examen, repetendum eſt ex *Can.*11.*Nannet.Concilii*, quem exſcribit Gratian. in *Can. quando Epiſcop. diſt.*24. Præcipue vero inquirendum eſt, an ille ſit irregularis, ſeu an habeat nec-

ne

ne qualitates illas, quæ a sacris Canonibus in Ordinando desiderantur. Quod hic forte postularet tractatum de irregularitate; sed eum rejicimus ad finem libri tertii, cum ea propius accedat ad censuras Ecclesiasticas.

Denique, cum Apostolus 1. *ad Corinth. cap.7.* jubeat,ut unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea remaneat, semper sacri Canones voluerunt, ut Clerici ad certum titulum, ad certam Ecclesiam ordinentur. Juris illius vestigia jampridem extant in *Can.*18 *Ancyranæ Synodi*, & in *Can.*13.*Neocæs.* Sed cum plures ordinati Clerici non alligarentur certis Ecclesiis; *Chalced. Concilii* Patres in *Can.6.* decreverunt, neminem ordinari posse absolute, id est, non relative ad aliquam Ecclesiam. Et ita Urbanus II. in *Can. Sanctorum*, *dist.*70. absolutam Ordinationem vocat eam, quæ sine titulo facta sit; & olim Ecclesias dictas fuisse titulos constat a titulis Martyrum, quibus erant dedicatæ, ut videre est in *Hymno S.Prudentii de S.Vincentio.* Quodque Calched.Concilium prohibeat aliquem absolute ordinari, sequentes Canones dixerunt neminem ordinari absque titulo, ne Clerici errones essent aut vagantes, cum alicui Ecclesiæ deservire tenerentur.

Verum hodie triplex constitui solet titulus, Ecclesiæ, Monasterii, & Patrimonii. Ecclesiæ olim solus erat. Monasterii, cum Monachi essent omnino Laici,vel alter ex iis ordinabatur Sacerdos, vel etiam alius secularis Clericus, qui in sua Ordinatione addicebatur eorum Monasterio, ut in eo sacra faceret,

iisque administraret Ecclesiastica Sacramenta, Nilus Eremita in *Narratione* 4. & Palladius in *Lausiacis cap.*7. Ac tandem titulus patrimonii, ut si quis Clericus haberet patrimonium, eo uteretur pro titulo, sacris Canonibus incognitus erat, vel etiam Chalcedonensibus: sed forte invaluit circa tempus Alexandri III. *cap.*4. *ext. de Præb.* Et apud Stephanum Tornac. ejus æqualem in *Epist.*12.

Addit Chalced.Concilium, qui absolute Ordinatus sit, eum vacuam habere manus impositionem. Idest, non habere Ordinem, & in seculo remanere, ait Zonaras: ejus Ordinationem esse irritam, ut ex versione Dionysii Exigui habet Urbanus II. in *dict. Can. Sanctorum*. Laterau. Concilium sub Alexandro III. admisit eam Ordinationem ut validam, & voluit ut Episcopus qui eum ordinavit, eum alere teneretur, donec aliquod beneficium ei contulerit, *d.cap.*4. Solus Pontifex derogare non poterat Chalced.Concilio & quidem generali; sed aliud etiam Oecumenicum ei derogare potuit propter Ecclesiæ utilitatem, ut docet Yvo in *Prologo Decreti*. Ac tandem Chalced. Concilium ad minores etiam Clericos pertinebat, ut nec absolute possent ordinari, ut notant Zonaras & Balsamon. Sed Lateranense Constitutionem illam restrinxit ad Presbyterum & Diaconum, ut iis exceptis, alii omnes Clerici absque titulo impune possint ordinari. Eoque pertinet omnino *eadem Epist.*12. *Stephani Tornac.*

TI-

TITULUS XI.

De Electione.

BAlſamon ad *Can.*3. *Nicænæ Synodi* ait Electionem Epiſcoporum proprie dici; abuſive Presbyterorum, qui per Ordinationem fiunt. Electio eſt unius de multis acceptio, ait Fulbertus Carnot. in *Epiſt.*61. Sicque de illius ſubſtantia eſt, ut de multis fiat, non etiam a multis: nam & ſolus Moyſes Aaronem elegit, & unus Chriſtus Dominus Apoſtolos & Diſcipulos. Unde cum Rex hodie nominat Epiſcopum, vera eſt electio, cum ille ſit caput populi, & S. P. Synodum repræſentet. Ea deſcendit a lege Divina, ait S.Cyprianus in *Ep.*68. non quod ullum extet Divinum præceptum de Prælatis eligendis, ſed quod Divina exempla, quæ in ſacris paginis occurrunt, Electionem Juris Divini faciant.

Sub ipſis Apoſtolis Electio fiebat ab univerſa Eccleſia, a multitudine, & communi fidelium conſenſu, *Actorum cap.*1. *&* 6. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib.*8. *cap.*4. Apoſtolicam hanc Conſtitutionem exſcribit, ut ille ordinetur Epiſcopus, qui ab univerſo populo Electus fuerit. Origenes in *Homilia* 6. *in Leviticum* meminit popularis ejus electionis, & S.Cyprianus in *ead. Ep.*68. ait eum eſſe ordinem Eccleſiæ univerſæ, ut Electiones fiant de ſuffragio univerſæ fraternitatis, id eſt, Clericorum & Laicorum: ita tamen ut populus proprie non haberet

beret ſuffragium, ſed ſolum teſtimonium; cujus ſolius meminit Apoſtolus 1. *ad Timoth. cap.*3. Tertullianus in *Apolog. cap.*39. Et hinc Leo Magnus in *Ep.*84. 92. *& aliis*,ad Electionem Epiſcoporum deſiderat ſuffragia Clericorum,& teſtimonia populorum; vel etiam eorum petitionem, de qua in *l.*49. *Cod. Th. de Decur.* quod plane indicat populum non habuiſſe votum aut ſuffragium. Unde illud Gaufridi Vindoc. Laici Epiſcopum petere poſſunt, eligere non poſſunt, in *tract.de ordin. Epiſcoporum.* Et ideo Cyprianus præſentiam & teſtimonium populi deſiderat, quia ſingulorum vitam pleniſſime novit, ut eo præſente, digni eligantur.

Hoc etiam Nicæni Concilii temporibus ita obtinuiſſe conſtat ex ejus Epiſtola ad Epiſcopos Ægypti apud Theodoretum *lib.*1. *hiſt. Eccl. cap.*11. ex *Can.*5. *Sardicenſis Concilii*,quod dicitur Nicæni appendix, & ex variis Epiſtolis Leonis Magni: unde cum ita illa Synodus in *Can.*4. ſtatuit,a Metropolitano & Comprovincialibus Epiſcopis ordinari Epiſcopum,hoc pertinet tantum ad ſolam Ordinationem ſeu Conſecrationem, non etiam ad Electionem, ut non ſatis caute volunt VII. Synodi Patres in *Can.*3. cum in *d. Can.*4. χειροτονίαν pro Electione acceperunt, quam & antiqua, & Dionyſii Exigui, & aliorum fere omnium Collectorum verſio, pro Conſecratione accipit. Sicque primo illud Nicænum Concilium non abrogavit veterem Eccleſiæ obſervationem in eligendis Epiſcopis, ut nempe fiat cum ſuffragio Cleri, & populi teſtimonio. Circa ſextum & ſeptimum

mum ſeculum Optimates non tantum Electioni aderant in teſtimonium, ſed etiam in ea habebant ſuffragium, faciebant decretum Electionis, eique ſubſcribebant. Hoc ipſiſſimis verbis indicat *liber Diurnus Rom. Pontif. cap.2. tit.2. & ſeqq.*

Circa utrumque (videlicet Cleri ſuffragium & populi teſtimonium) idem fere fuit progreſſus: ſicut enim omnis quidem populus electioni olim aderat, ſed cum vilis plebecula ſæpius erraret, etiam in comprobandis Epiſcopis, ait S. Hieronymus *lib.1. contra Jovinianum*; & ſæpius violentiam aut impreſſionem faceret, Laodicæni Patres in *Can.13.* prohibuerunt electionem fieri a turbis, id eſt, a vili plebecula, ut libertatem electionum adſtruerent. Ab eo tempore iis adfuerunt ſoli Honorati ſeu Civitatum Magnates, qui aliquando appellatione Ordinis veniunt, aliquando etiam ἀξιωματικοὶ, ut in *libro Diurno Roman. Pontificum*, id eſt, in dignitate conſtituti. Ac tandem VIII. Synodus in *Can.22.* eos omnes, atque etiam ipſos Principes, ab iis Electionibus removit, ita ut iis nulli amplius laici adeſſent. Ita & olim totus Civitatis Clerus eligebat, *Can.11.& 35. diſt.63.* Nec enim dicendum eſt, Metropolitanum & Comprovinciales Epiſcopos veram habuiſſe Electionem, & Civitatis Clerum inſtar populi ſolum habuiſſe teſtimonium: nam inquit Gaufridus Vindoc. *Ibid. Electio fieri debet a Vicariis Chriſti, illi autem ſunt Clerici in Electione, & Epiſcopi in Conſecratione.* Sed VII. Synodus in *Can.3.* voluit, ſoli Metropolitano cum ſuis Comprovincialibus Epiſcopis ele-

electionem competere, ſicque tandem Clerus & Populus ab ea remoti ſunt. Et hæc de Orientali Eccleſia.

In Occidentali diutius obtinuit ea vetus Eccleſiæ diſciplina, ut Epiſcoporum Electio fieret cum ſuffragio Cleri, & populi teſtimonio. Ejus adhuc veſtigia extant apud S.Bernardum in *Ep.*13.& 27.Sed ſicut olim in quibuſdam Africanis Eccleſiis ſufficiebat Matricis arbitrium, ait Ferrandus Diaconus in *Breviario Canonum num.*11. ſeu ſuffragium Cathedralium Clericorum, aut etiam eorum Clericorum, qui in Epiſcopali urbe inſtituti eſſent: ita & circa undecimum ſeculum ubique fere invaluit Electionem Epiſcoporum translatam fuiſſe ad ſolos Cathedrales Canonicos: quod paſſim confirmatum occurrit in libris Decretalium. Et in Gallia ſemper ei adhibitus eſt Regis conſenſus, ut & eam fieri permitteret, & factam confirmaret, quod a prima ſtirpe Regia incepit. Eadem plane obſervata ſunt in electione Metropolitanorum, *Can.*7. II. *Aurelian. Concilii*, & *Can.*19. *diſt.*63.

Denique ſicut Romæ lex regia Imperium a populo tranſtulit ad unum Principem, ita ut ad eum ſolum pertineret creatio Magiſtratuum, *l.*1. *ff. ad l. Jul. de amb.* Ita & in Gallia omnium fere Prælatorum electio ad ſolum Regem translata eſt; in Concordatis inter Leonem X. Summum Pontificem & Franciſcum I. Galliæ Regem *tit.de regia ad Prælat.nomin.* quæ in *ultimo Lateranſi Concilio ſeſſ.*9.ſub eodem Leone confirmata ſunt, ut Rex aliquem ad cer-

certum vacantem Epiſcopatum nominare & præſentare poſſit Summo Pontifici, qui eum admittere, eique Epiſcopatum illum conferre teneatur. Ac ſemper dicendum, in ea etiam obſervatione veram Electionem eſſe, cum Rex ſit Caput Populi, & ejus vice petat Epiſcopum; Pontifex vice Synodi eum confirmet, a Clero & Populo inquiratur de moribus & vita nominati. Dicendum, inquam, eſſe veram electionem, quia de ejus ſubſtantia non eſt, ut aliquis eligatur a pluribus, ſed ut ex pluribus, ut jam diximus.

Eliguntur etiam Abbates. Sed forte olim Diœceſanus Epiſcopus eos dabat Monachis, non etiam illi eligebant. Nam in antiquioribus eorum Privilegiis & exemtionibus ſemper expreſſe occurrit ſolemnis ea clauſula, ut Monachi Abbatem ſibi eligere poſſint. Et hinc Marculfus Monachus in formula Privilegii Monaſterio conceſſi ab Epiſcopo, eam legem nominatim adhibet. Ergo eligendi Abbatis poteſtatem ſuo jure non habebant, cum ad eam iis opus eſſet ſpeciali Privilegio. Sed ſenſim poſt S. Benedicti regulam in aſſiduum uſum illud verſum eſt, ut haberent eam poteſtatem: ac ſemper in Gallia conſenſum Regis habere debuerunt.

Ex iiſdem concordatis Rex Chriſtianiſſimus omnes fere Abbates Summo Pontifici nominat, qui eos admittere tenetur ad regiam hanc nominationem. Sane concordata volunt, ut a Rege nominetur Religioſus profeſſus ejuſden Ordinis ac ipſius Monaſterii, quique intra annum poſſit eſſe Presbyter. Et

ta-

tamen fere semper nominat secularem Clericum. Nec illud Gregorio Magno incognitum dici potest: nam *lib.3. Reg. Ep.11.* si quis Clericus secularis factus fuerit Abbas alicujus Monasterii, Summus ille Pontifex patitur, ut permaneat in loco Abbatis, si velit; sed Regia illa nominatio est tantum in commendam, non in regulam; ita ut Abbas Commendatarius non sit Monachorum Superior, nec ullam in eos potestatem aut jurisdictionem habeat. Et totum illud fit per Apostolicam dispensationem ad petitionem Regiam. Unde cum utraque illa summa potestas concurrit, Pontificia & Regis, negotium illud omni plane vitio caret; tum vero præcipue, quod ea dispensatio a sacris Canonibus non omnino aliena sit, ut probari potest ex *tit. de postul Præl.*

Ut autem Canonica dicatur Electio, quinque potissimum desiderantur. I. Ut non fiat nisi post mortem & sepulturam ultimi possessoris, *cap.36. Ext. de Elect. & Elect. pot.* Summi Pontificis Electio facienda non est, nisi tertio die depositionis ejus, ex Constituto seu Decreto Bonifacii III. apud Anastasium, cujus exemplum videre est in *lib. Diurno Rom. Pont. tit.4. & 5.* II. Ut omnes Eligentes ad eam faciendam vocentur, qui sint in Regno, aut saltem in Provincia, *cap.51. ibid.* Unus enim contemtus seu non vocatus, & de ea re conquestus, facit ut Electio infirmetur, *cap 28. ib.* III. Præscribenda est dies & hora Electionis, quæ tamen ultima de honestate tantum & justitia esse, non etiam de substantia &

ne-

necessitate dicitur in *Glos. Prag. Sanct. ad tit. de Elect. §. Et cum humanæ*. IV. Electionis locus est ipsamet Ecclesia in consueto loco, & semper cavendum ne clandestina sit, *cap.42.Ext. eod.* Ac tandem cum convenerunt Eligentes, jurare debent se digniorem electuros.

Denique tribus modis fit Electio, vel per Scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem. I. Enim duo vel tres e Capitulo secreto, & instituti in ipso Capitulo, scrutantur vota singulorum Eligentium, eaque in scriptis redigunt; postea fit publicatio scrutinii, ut innotescat quis numero vincat, nec amplius variare possunt Eligentes, *cap.42. 46. 48. Ibidem*. II. Cum Eligentes convenire non possunt, in quosdam ex Capitulo compromittunt, qui soli ejus nomine eligant. III. Si nullo tractatu habito, sed velut S.Spiritu afflati, convenientibus votis aliquem eligant, per inspirationem elegisse dicuntur.

TITULUS XII.

De Confirmatione & Consecratione.

CUm facta est Electio, alter ex ipsis Eligentibus eam in scriptis redactam Electo præsentare debet nomine totius Capituli, ut intra mensem videat, utrum eam probet aut rejiciat. Si eam rejiciat, Eligentes alium eligere debent; si eam probet, intra tres menses ejus confirmationem a Superiore petat necesse est,

eſt, *cap.4. & ult.ext. de elect. & elect. poteſtate*. Interim habet tantummodo Jus ad rem, puta petendam & adipiſcendam: ſe immiſcere non poteſt adminiſtrationi ſpiritualium & temporalium, alioquin ſuo jure privaretur tanquam intruſus, *cap.9. & 17.eod.* necdum poteſt apprehendere poſſeſſionem. Et hoc in vera Electione obtinet, quæ ſemper confirmationem deſiderat, *Cap.42. Ibid.*

Ita electus Epiſcopus a Metropolitano confirmandus eſt, ejuſque confirmatio, approbatio, proceſſuſſve in electione habiti; & quantum ad formam electionis, an rite facta ſit, & quantum ad perſonam Electi, an idonea ſit, ait *Gloſſ. Prag. Sanct. ad tit. de Elect.* Unde cum Metropolitanus eam electionem examinare poſſit, eam etiam rejicere poteſt; quo caſu habetur pro infecta, & eligendi poteſtate privantur Eligentes, eaque ad Superiorem devolvitur, ſi quidem malo more indignum elegerint. Poſteriores Summi Pontifices in noſtris Decretalibus Metropolitano ſervarunt Jus electionis probandæ aut rejiciendæ, & judicandi de iis omnibus cauſis, quæ circa electionem emerſerint, ſalva ſemper appellatione ad Sedem Apoſtolicam. Hodie S. P. regiam Nominationem admittit, & utcumque confirmat, & nominati perſonam examinat ex ipſa inquiſitione, quæ in Gallia facta ſit, & Prælaturam confert. Poſt eam confirmationem electus Epiſcopus habet ea quæ ſunt adminiſtrationis, & juriſdictionis, quam utramque antea non habebat, niſi per diſpenſationem.

Cum

Cum confirmatus eſt Epiſcopus, conſecrationem ſuam a ſuo etiam Metropolitano petere debet intra tres menſes. Ea fit per impoſitionem manuum & ſacram Unctionem, & tribuit gratiam Spiritus Sancti, ait S. Baſilius in *Epiſt. ad Amphil. Can.* 1. Ita ut Epiſcopus habeat ea omnia quæ ſunt dignitatis Epiſcopalis, vel etiam ea quæ ſunt Ordinis, puta collationem Ordinum, conſecrationem Eccleſiarum & Altarium, & ſic de aliis. Huic Epiſcopali conſecrationi cum Metropolitano adeſſe debent duo vel tres Epiſcopi ex *Can.* 1. *Apoſtol.* Nicæni Patres in *Can.* 4. tres ſaltem deſiderant. Ac forte verius eſt, eorum præſentiam non eſſe de neceſſitate præcepti & ſacramenti, ſed tantum de diſciplina. I. Enim in Annalibus Eccleſiaſticis plures occurrunt ab uno Epiſcopo conſecrati Epiſcopi propter aliorum penuriam. II. Numerus ille paſſim remiſſus eſt, eaque remiſſio confirmatur. *lib.* 3. *Conſtitut. Apoſtol. cap.* 20. & *lib.* 8. *cap.* 27. Ac tandem in Rituali Romano eſt Conſecraus, & alii dicuntur tantum Aſſiſtentes. Et ſic Electio, Confirmatio, & Conſecratio, faciunt Epiſcopum, ait Gaufridus Vindocin. in *opuſc.* 2. *de Ordinatione Epiſcoporum*.

TITULUS XIII.

De Summo Pontifice.

EX Majoribus Clericis potior eſt Rom. Pontifex, quem agnoſcit Eccleſia Catholica verum Beati Petri ſucceſſorem, unitatis Eccleſiaſticæ fundamentum, & totius Eccleſiæ caput, qui per veram electionem conſtituitur; quæ ſæpius variavit, ſed tandem ad ſolos Cardinales delata eſt; & exoleverunt omnes illæ ſerviles veluti ſolemnitates, de quibus in *lib. Diurno Rom. Pontif.* Ut autem innoteſcat eum eſſe verum Petri ſucceſſorem. I. Videndum quid Juris in Eccleſia Petrus habuerit tempore martyrii, & poſtea ſubjiciendum eſt in totum illud ſucceſſiſſe Pontificem. Sed ſtatim præmittendum, varie inſpiciendum eſſe naſcentis Eccleſiæ ſtatum. Vel enim Apoſtoli egerunt ſub ſolo capite Chriſto, vel ſub Chriſto & Petro capite, vel ſub ſolo Petro. Cum Chriſtus Dominus elegit 12. Apoſtolos, iis omnibus ſimul congregatis dedit Miraculorum & Evangelii Prædicandi poteſtatem, *Math. cap.* 10. Poſtea ſoli Petro promiſit ſe ſuper eum ædificaturum eſſe ſuam Eccleſiam, ſe daturum ei claves Regni Cœlorum & poteſtatem ligandi & ſolvendi, *Math. cap.* 16. eamque ſolam omnibus dedit, *Ibid. cap.* 18.

Moriturus in ultima Cœna iis omnibus dedit conficiendi Corporis ſui poteſtatem: poſt eam Cœnam ſoli Petro dixit *Lucæ cap.* 22. *Et tu aliquando con-*

converſus confirma fratres tuos. Sicque aliorum Apoſtolorum curam & confirmationem ei dedit. Poſt reſurrectionem in prima apparitione dedit eis Spiritum Sanctum, & poteſtatem remittendorum peccatorum, *Joan. cap.*20. In ſecunda apparitione ſub oculis omnium Apoſtolorum ter ſoli Petro dixit: *Simon, diligis me plus his* (puta præſentibus Apoſtolis) Et ita indicavit ſe pluris facere amorem & dilectionem Petri, quam aliorum, eique adhuc ſoli ter dixit: *Paſce oves meas, Paſce agnos meos, Joan.*21. inquiunt SS.Patres: Paſce Prælatos & ſubditos ſeu Eccleſias & omnes Fideles, Leo Magnus in *Ep.*10.*in ult.edit. cap.*2. *in fin.*

Verum quamdiu Chriſtus Dominus egit in vivis, omnes Apoſtoli ſub eo ſolo capite fuerunt æquales, ut omnes ſub eo unum eſſent, quod ipſe pro iis a Patre petierat, *Joan. cap.*17. Hinc Sanctus Chryſoſtomus in *Homilia* 55. in *cap.*16. *Matth.* ait, univerſi orbis curam omnibus Apoſtolis in commune traditam fuiſſe ſub uno Capite & Paſtore, puta Chriſto Domino. Sed cum poſt mortem Petro dixit, *Paſce oves meas, &c.* Apoſtoli ſub Chriſto & Petro Capite egerunt, nec amplius Petro fuerunt æquales, ſed Coadjutores. Et hinc Cyrillus Hieroſolymitanus in *Catechef.*2. eum vocat Apoſtolorum Primum ex Inſtitutione Chriſti: & S.Hieronymus *lib.*1. *contra Jovinianum*, vocat eum Caput Apoſtolorum a Chriſto creatum; alii eum vocant Principem Apoſtolorum. Ita tamen ut adhuc cum omnibus Apoſtolis totam Eccleſiam in communi & indiſtincte gubernaret;

& quidem propter neceſſitatem, quod nondum ſeparatæ eſſent particulares Eccleſiæ. Solus Petrus erat unius & totius Eccleſiæ Epiſcopus a Chriſto inſtitutus per ea Verba: *Paſce oves meas, quique aliquando converſus fratres ſuos confirmaret.*

Sed cum Chriſtus aſcendit ad Patrem, & excrevit multitudo fidelium, inſtitutæ ſunt particulares Eccleſiæ, *Can. præcipimus* 16. *quæſt.* 1. Imprimis vero Hieroſolymitana, ad quam electus eſt Jacobus Juſtus, *Can.* 2 *diſt.* 66. Eo quod Chriſtus Dominus juſſerat, ut Apoſtoli prædicationem ſuam inciperent ab Hieroſolymis, *Math. cap. ult. in fin.* Cumque ſingulis Apoſtolis certæ quædam obvenerunt Eccleſiæ, illi omnes ſub ſolo Capite Petro agere & ſuas illas Eccleſias regere cœperunt. Primo quidem Antiochenam velut in tranſitu fundavit & rexit per 7. annos. Secundo Alexandrinam per Marcum diſcipulum ſuum. Sed tandem Romanam ſanguine ſuo propriam ſibi fecit; ac diutius præſentia & doctrina ſua illuſtravit. Eleganter utique Tertullianus in *lib. de Præſcript. adver. Hæret. cap.* 36. adſtruit & Petrum iviſſe Romam & ibi crucifixum fuiſſe iis Verbis. Habes Romam: *Ita quam felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo fuderunt, ubi Petrus Dominicæ Paſſioni adæquatur.* Petrus Romæ ſedit quaſi Caput omnium Apoſtolorum, ait Optatus Milevit. *lib.* 2. Et ſicut in Salvatore omnes erant cauſæ Magiſterii, ita & poſt Salvatorem omnes erant in Petro, ait S. Auguſtinus in *quæſtionibus Veteris & Novi Teſtamenti quæſt.* 75.

Hinc

Hinc paſſim dicitur Primus,Caput,& Princeps Apoſtolorum. Nec obſtat quod non pronuntiaverit in Concilio Hieroſol. *Actor. cap.*15. Vix enim rationi conveniebat, ut in ſua ipſa cauſa jus diceret, cum eſſet alter ex diſputantibus. Nec etiam obſtat, quod Paulus ei reſtiterit in facie, eumque reprehenderit; quamvis enim ſubditus Principis ſui ſententiam non probet, imo & ſub ejus oculis eam impugnet, non ideo tamen ejus Principatum abnuere & rejicere intelligitur, ut de Antonino Imper. & Paulo Juriſconſulto palam eſt ex *l. Æmilius* 38. *ff. de Min.*25.*an.*

Conſtat igitur, quædam a Chriſto Domino ſimpliciter conceſſa fuiſſe Petro ſeorſim ab aliis Apoſtolis, puta poteſtatem Clavium, ut fratres ſuos confirmet, ut paſcat oves & agnos Chriſti Domini. Sed quidam putant ea ipſi perſonaliter conceſſa fuiſſe, ut jam olim loquebatur Tertullianus in *lib. de pudicitia*, *cap.*21. ac proinde translata non fuiſſe ad ejus Succeſſores puta Rom.Pontifices. Clavum illum tetigit elegauter Chryſoſtomus *lib.*2.*de Sacerdotio*, iis Verbis: *Chriſtus Sanguinem ſuum effudit, ut oves illas ſibi acquireret, quarum curam tum Petro tum Petri Succeſſoribus commiſit*. Cumque S. Pacianus Barcinonenſis in *Epiſt.*1. fuſius probat quod Petro & Apoſtolis datum eſt, illud in eorum perſona datum eſſe eorum Succeſſoribus, puta omnibus Epiſcopis; cur etiam quod ſimpliciter Petro datum eſt, translatum non ſit ad ejus Succeſſores. Sane cum Tertullianus atque etiam S.Cyprianus male animati eſſe cœperunt in Romanum Pontificem iis æqualem,

quod condemnaret eorum errores, multa in eum ſcripſerunt durius: qui tamen antea ſcripſerant, Eccleſiam Romanam eſſe principalem Eccleſiam, unitatis Eccleſiaſticæ originem, Petri Sedem, aliarum Eccleſiarum Matrem, & Rom. Pontificem verum eſſe Petri Succeſſorem. Ac tandem Ammianus Marcellinus,& quidem Ethnicus,agnovit Primatum Romani Pontificis inter Chriſtianos iis verbis *lib.*15.*Æternæ urbis Epiſcopi authoritate potiores aliis omnibus*.

Certiſſima ſummæ illius poteſtatis indicia fuerunt, quod Prælati de Majoribus cauſis ad Romanum Pontificem retulerint, eumque in iis conſuluerint, ut teſtatur S.Hieronym.in *Epiſt.*11.*ad Geruntiam*; quod reviſionem majorum cauſarum imperaverit, ſeu majora negotia jampridem a Majoribus Prælatis definita, vel apud eoſdem vel apud alios Judices retractari, Leo Magnus in *Epiſt.ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ*. Ac tandem quod ex univerſo orbe Chriſtiano ab omnibus Prælatis appellatus fuerit, ut ſuo loco videbimus. In quo appellationis Jure dignitatem Eccleſiæ Romanæ conſiſtere, ait Stephanus Tornac. Epiſcopus in *Epiſt.*162. Omnibus illis juribus & remediis uſi ſunt S.Athanaſius, S.Chryſoſtomus, & S.Ignatius, & quidem Patriarchæ Majorum gentium, ut ita ſe ſuamque innocentiam tuerentur.

Prælati inquam de majoribus cauſis ad eum retulerunt, ut quid in iis ſtatuendum ab eo acciperent, Tales erant quæ oriebantur inter Epiſcopos, ut docet Innocentius I. in *Epiſt.ad Victricium cap.*3. Qua

dif-

difficiles erant, & in quarum definitione diffidebant Episcopi, Alexander I. in *Epist. ad omnes Orthodoxos*, Pelagius II. in *Ep.* 8. Ac tandem, quæ erant de fide vel de dubia disciplina, quæ spectant universalem Ecclesiam. Olim quidem de iis omnibus non cognoscebat ordinario jure, sed ut loquuntur, in secunda instantia: tum primum a Metropolitanis definiebantur in Synodis Provincialibus: sed sensim Romanus Pontifex earum omnium cognitionem sibi soli vindicavit, vel etiam a prima instantia; & huic usurpationi causam dedit negligentia Metropolitanorum, qui suas illas Synodos non amplius habuerunt juxta Sacros Canones. Unde fluxit excidium Ecclesiasticæ disciplinæ: nam Episcopi sanctius agere tenebantur in suis Diœcesibus, quod eas Synodos sibi suisque moribus & actionibus imminere videbant, a quibus graviter coerceri poterant.

Summa tamen ea Rom. Pontificis potestas generali Concilio subjacet, ut tandem definiit Constantiense & Basileense Concilium. Eaque constans est sententia Ecclesiæ Gall. omnium Parlamentorum, & Universitatum Galliæ. I. Enim illud repræsentat universalem Ecclesiam, quæ mysticum corpus, & sponsa Christi Domini. Vix autem est ut supra eam sit ille Pontifex, in cujus Canones jurare, & cujus præcepta servare tenetur. II. Christus Dominus promisit se in ejus medio præsentem futurum, *Math. cap.* 18. & Spiritus Sancti præsentiam testatur ea Congregatio Sacerdotum, ait Celestinus I. in *Ep. ad Synodum Ephesinam*. Utroque potior utique non est Rom. Pon-

tifex. III. Concilium ipſum propoſitas quæſtiones definit, & in nomine ſuo pronuntiat earum definitionem: *Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis. Viſum eſt Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia, act.*15. Ac tandem & Summi Pontifices & Sancti Patres agnoſcunt & probant Jus appellandi a Summo Pontifice ad generale Concilium, Leo M. in *Epiſt.*33. a Theodoſio ad illud vocatur. Illud etiam ab eo petit in *Ep.*39. & 40. Et utrumque illud teſtatur Leonem Magnum ſe huic ſubditum profiteri; atque etiam Sanctus Auguſtinus in *Epiſt.*162. docet, a Romano Pontifice appellatum fuiſſe Concilium in cauſa Donatiſtarum; ejuſque appellationis multa exempla occurrunt in Hiſtoriis, & in Annalibus Eccleſiaſticis. Eam vero Concilii majoritatem & potentiam ſupra Papam omnes agnoſcunt in tribus præcipue caſibus: cum agitur de fide, de Schiſmate tollendo, & de reformatione totius Eccleſiæ in capite & in membris.

TITULUS XIV.

De Patriarchis & Cardinalibus.

JUdæi ante Chriſtum ſuos quidem Patriarchas ſeu Religionis & fidei Patres ac Principes habuerunt, atque etiam alios poſt Chriſtum uſque ad initium Quinti Seculi; ut palam eſt in *L. ult. Cod. Th. de Jud.* qui erant nationis primates, & quibus ſuberant Apoſtoli, quos huc illuc mitterent, præcipue ad colligendam

dam pecuniam. Sed inter Christianos Præsules incognitum fuit Patriarcharum nomen ad medium ejusdem seculi. Beatus Petrus tres nobilissimas fundavit Ecclesias, Antiochenam, Alexandrinam, & Romanam. Earum Præsules 1. appellati sunt Archiepiscopi apud Sanctum Athanasium in *Apol.* 2. Postea Exarchi Diœceseos, ideſt Principes multarum Provinciarum, quæ iis parebant, in *Actis primi Constantinopolitani Concilii.* Ac tandem Patriarchæ, ideſt Primi Patres multarum Provinciarum. In *Actis Calchedonensis*, quod habitum est *an.* 451. sicque ab initio, tres tantum illæ fuerunt Patriarchales Ecclesiæ, quas Princeps Apostolorum fundavit. Posteriores quidem Rom. Pontifices se ipsos non dicunt Patriarchas, seque ab aliis distinguunt, quasi Sedes Apostolica sit majus aliquid Patriarchatu. Sed Leo Magnus in *actione* 3. *Calched. Concilii* vocatur Patriarcha magnæ Romæ, & Justinianus in *Nov.* 109. docet Romanum Pontificem Occidentis esse Patriarcham.

Iis tribus statim additus est Constantinopolitanus, eo quod ejus Civitas facta fuerit sedes Imperii, & nova Roma cœperit appellari; forte quidem in primo Constantinopol. Concilio tum primum ei datus est honor sedis, nomenclaturæ, subscriptionis statim post Rom. Pontificem ante duos alios Patriarchas, & in *Can.* 28. *Chalched. Concilii* datum est ei Jus Patriarchicum. Diutius quidem Rom. Pontifices rejecerant eum Canonem, sed tandem Innocentius III. eum Patriarcham agnovit, in *cap.* 23. *Ext.*

de Privil. quia ejus tempore Rom. Pontifici se subjecit.

Denique Hierosolymitana Ecclesia Patriarchalis etiam facta est. 1. Quidem Cæsariensi Metropolitano parebat; sed cum alias seminasset Ecclesias, ait Hieronymus in *Esaiam cap.*2. Nicænæ Synodo placuit in *Can.*7. ut ejus Episcopus honoraretur, salva dignitate Metropolitano debita, puta ut in ejus Synodo post eum primus statim sedeat ille Episcopus, cui tandem concessum est jus Patriarchicum, in *Act.*7. *ejusdem Chalced. Concilii*: sicque per partes evenit ut quinque essent Patriarchæ. Cum in Occidente potissimum Primates prodierunt, sibi etiam vindicarunt Patriarcharum nomen, *Can.*1. *dist.*99. ita tamen ut ab aliis quinque plurimum differrent, iisque omnino essent inferiores.

Jus Patriarchicum in quatuor præcipue versatur. I. Ut Patriarchæ statim sedeant post Rom. Pontificem. II. Ut suis Metropolitanis pallium concedant, cum prius illud ab eo Pontifice acceperint, quod indicat plenitudinem Pontificalis officii. III. Ut Crucem ante se ferri faciant ubique in suo Patriarchatu. Denique ut sub se plures habeant Metropolitas, a quibus ad eum appelletur, *d.cap.*23. Quilibet Patriarcha suam habet diœcesim seu tractum aut territorium multarum Provinciarum, & extra illud nullæ sunt ejus partes, alterius nulla potestas in alterum. Eaque sola ratione Gregorius Magnus pati non potuit Joan. Jejunatorem Patriarcham Constantinop. se se appellare Oecumenicum, quia ejus dignitatis

gnitatis obtentu Gregorium Patriarcham Antiochenum condemnaverat, quod erat ſolius Romani Pontificis.

Cardinales ſic dicuntur a Cardinibus, id eſt, regionibus in quibus inſtituti ſunt. Sic Leo IV. *in oratione ad Patres Synodi Romanæ*, Anaſtaſium vocat Presbyterum Cardinis ſui, quem in titulo S. Marcelli ordinavit. Idem occurrit in *Epiſtola* 89. *Joannis VIII. & apud Joann. Diaconum in vita Gregorii Magni*, *num.* 10. Sicut enim cum vetuſtiores Summi Pontifices quoſdam Diaconos inſtituerunt in regionibus Urbis, a quibus appellantur Regionarii apud Anaſtaſium Bibliothecarium, & Gregorium Magnum; ita & cum eædem regiones dicantur etiam Cardines apud Authores finium regundorum, in iis ordinati Presbyteri, Cardinales appellati ſunt. I. Quidem inſtituti ſunt in regionibus Urbis, *Can. Præſul.* 2. *quæſt.* 5. & poſtmodum in forenſibus etiam Eccleſis apud Gregorium Magnum *lib.* 1. *Reg. Ep.* 15. & *lib.* 11. *Ep.* 34.

Cardinales illi ab initio fuerunt proprie Parochi Urbis; ſed ſummæ dignationis eſſe cœperunt, poſtquam Nicolaus II. in Concilio Lateran. ſtatuit, ut illi ſoli eligerent Summum Pontificem, *Can.* 1. *diſt.* 23. qui antea eligebatur a Clero & Populo. De iis poſt Decretum illud ita loquitur Petrus Damianus eodem fere tempore agens: *Non modo Epiſcoporum, ſed & Primatum & Patriarcharum Jura tranſcendunt.* Et Sigonius *lib.* 9. *de Regno Italiæ* ait, ex eo Decreto Cardinalium nomen magis ac magis celebrari cœpiſſe.

Ac

Ac tandem Innocentius IV. dedit eis veſtem rubeam & rubeum Pileum. Diutius quidem tantum Presbyteri & Diaconi Cardinales fuerunt, & Onuphrius contendit Epiſcopos fuiſſe Cardinales ſub Alexandro III.

TITULUS XV.

De Epiſcopis.

GRæca vox ea eſt, Epiſcopus, quæ apud ipſos etiam prophanos Authores ſignificat Proviſorem, Inſpectorem, Speculatorem, ſicut & apud S.Cyprianum. Nam inſtitutus eſt, ut attendat ſibi & univerſo gregi, in quo Spiritus-Sanctus eum poſuit Epiſcopum regere Eccleſiam Dei, *Act. cap.*20 Ex iis verbis multa conſequuntur. I. Epiſcopos eſſe Juris Divini. II. Eos Jure Divino inſtitutos, ut regant Eccleſiam Dei: unde S.Cyprianus in *Ep.*55. ſcribit, iis conceſſam fuiſſe ſublimem ac Divinam Eccleſiæ gubernandæ poteſtatem. Sicque ſtulti ſunt hæretici, cum aſſerunt Epiſcopos Apoſtolorum temporibus habuiſſe tantum adminiſtrationem & proviſionem, non etiam poteſtatem & dignitatem. III. Iis ſingulis a Spiritu Sancto aſſignatum fuiſſe gregem Domini, quem paſcant.

Cum Apoſtoli ordinarunt Epiſcopos, iis quidem cum impoſitione manuum dederunt omnem Epiſcopatus poteſtatem; ſed tamen cuilibet ex iis certam Gregis portionem, certum locum dederunt, in quo

quo ſuum illud munus adimplerent. Locus ille in multis Canonibus dicitur Parochia; ſed cœpit appellari Diœceſis, & Parochiæ nomen quibuſdam ſingularibus Presbyteris relictum eſt. Sunt ergo Rectores & Paſtores Eccleſiæ, qui in vim ſuæ Juriſdictionis ſunt Ordinarii Judices in ſua quisque Diœceſi, quam Jure ſuo viſitant, & a ſuis Officialibus viſitari curant: quales ſunt Archidiaconi, Decani Rurales, Archipresbyteri: irrogant cenſuras, tenent librum Eccleſiæ gubernandæ, & cenſuram vigoris in omnes Diœceſanos, ait S.Cyprianus in *Ep.*67. de quibus omnibus ſuo loco agetur, ſicut & de aliis, quæ ad Juriſdictionem Epiſcopalem pertinent. In vim ſuæ Ordinationis illi ſoli ordinant Presbyteros, Sacrum Chriſma conficiunt, Eccleſias & Altaria conſecrant, pœnitentiæ publicæ modum imponunt.

Verius autem eſt, Epiſcopatum non eſſe Ordinem a Sacerdotio diſtinctum, ſed tantum dignitatem & officium, cui a Spiritu Sancto major poteſtas per conſecrationem tribuitur. I. Enim S.Ambroſius, aut alius in *primam ad Timoth. cap.*3.ait, unam eſſe Ordinationem Epiſcopi & Presbyteri: nam uterque eſt Sacerdos, ſed primus eſt Epiſcopus. II. Ob Conſecrationem Epiſcopalem nihil additur, quod habeat rationem Sacramenti, ſed tantum nova quædam poteſtas extrinſeca a Sacerdotali diſtincta, ſive illud fiat per extenſionem Sacerdotalis Ordinis; cum enim aliquis conſecrandus eſt Epiſcopus, omnino prius eſt ut Presbyteri ordinem accipiat, cui per Conſecrationem adjicitur Divina illa poteſtas, quam Spi-

ritus

ritus Sanctus huic dignitati, huic ministerio dedit; sive illud fiat cum remanente Sacerdotio, potestas illa per Consecrationem additur. Nec obstat, quod Episcopus quædam habere dicatur passim quæ sunt Ordinis: nam hoc nihil aliud est, quam Ordinationis; quasi diceretur eum quædam accipere per suam Ordinationem & Consecrationem, quæ antea non habebat in vim solius Electionis & Confirmationis; puta sacrorum Ordinum collationem, Confirmationis Sacramentum, benedictionem Chrismatis, & alia id genus.

S. Cyprianus in *Ep.* 52. & alibi passim, ait, unam esse Ecclesiam & unum Episcopatum. Sicut enim unum est Ecclesiæ Corpus, quod per universum Orbem Christianum in pleraque membra diffusum est, quæ sub uno Capite posita sunt, puta Rom. Pontifice: ita & in ea Ecclesia unus est Episcopatus, qui ubique diffusus est in concordia plurium Episcoporum sub eodem ipso Capite; ita tamen ut cuilibet ex iis adscripta sit certa gregis Dominici portio. Licet vero illi omnes sint ejusdem Divinæ originis, attamen non sunt ejusdem gradus. Nam statim ab Apostolis instituti sunt primæ Sedis Episcopi. Sic Paulus Titum Cretæ instituit, ut per Civitates Presbyteros constituat, id est Episcopos; cumque illi primæ Sedis Episcopi ordinarentur in Metropoli seu prima & præcipua Civitate alicujus Provinciæ, appellati sunt Metropolitani, ac postmodum Archiepiscopi, quod nomen prius datum est Patriarchis, ut superiori titulo diximus, & postea Metropolitanis,

nis, qui pluribus Episcopis ejusdem Provinciæ præsunt. Prodierunt etiam Patriarchæ & Primates, quibus multi Metropolitani subjiciuntur. Sicque quatuor sunt gradus Episcoporum, Episcopi, simpliciter accepti unius Diœcesis; Metropolitæ, unius Provinciæ; Primates, multarum Provinciarum; & Patriarchæ eorum omnium Superiores. Unde & rectissime quidam Græci volunt genericum esse nomen Episcopi, quod de iis omnibus prædicatur. Ejus distinctionis rationem hanc affert Leo Magnus in *Ep.* 88, quia sicut inter Apostolos in similitudine honoris, erat quædam discretio potestatis, & uni datum est ut aliis præstaret, ex ea forma orta est discretio Episcoporum, ne omnes omnia sibi vindicarent; sed essent in singulis Principes singuli, quorum inter fratres haberetur prima scientia, & per quos ad Sedem Apostolicam universalis Ecclesiæ cura referretur.

Ita tamen ut Coepiscopi (hodie Suffraganei) de rebus dubiis consulant suum Metropolitanum, antequam ad Sedem Apostolicam eant, ut prudentissime idem Leo in *Epist.* 82, *in princ. ad Forojulienſem Episcopum*.

In Episcopis instituendis duæ potissimum regulæ obtinent. Prima est, duos Episcopos in eadem civitate institui non posse, *Can.* 8. *Nicenæ Synodi*. Ne unum corpus Ecclesiæ, quasi monstrum, habeat duo Capita, *cap.* 14. *Ext. de off. Jud. ord.* Et tamen invaluit Episcopo seniori, aut ægrotanti, Coadjutorem dari posse, qui sit Episcopus & Episcopali mu-

nere

nere fungatur. Olim a Metropolitano dabatur in Synodo Provinciali; quod ſi eadem neceſſitas in eo urgeret, dabatur a Coepiſcopis in eadem Synodo agentibus, *Can.*47. *Meldenſis Concilii.* Hodie a Summo Pontifice iis datur ex conſenſu Regis, *cap.pen. Ext. de Cler. ægrot.* Olim etiam dabatur ad tempus, aut ad proſperam valetudinem; hodie perpetuus eſt, & cum futura ejus Epiſcopi ſucceſſione. Quod etiam novit Gregorius Magnus, *lib.*11. *Reg. Ep.*8.

Secunda regula eſt, ut Epiſcopi non inſtituantur in vicis, in villis, in minoribus oppidis. In eam rem multos Canones exſcribit Gratianus in *diſt.*80. quod ita placuit, ne vileſcat nomen Epiſcopi, *Cap.*1. *Ext. de Privil.* cum nempe in iis non habent populi frequentiam Epiſcopo dignam, *Cap.*165. *Collationis Carthag. habitæ.* Sanctus Athanaſius in *Apolog.*2, indicat eam regulam eſſe traditionis Apoſtolicæ, cum Euſebianos arguit, quod contra majorum traditionem Epiſcopos inſtituerent in vicis. Et ut perfecta ſit ea lex, addita eſt ea pœna, ut Ordinans & Ordinatus Epiſcopus in quodam vico deponatur ab Epiſcopali gradu, *Can.*8. *duodecimi Toletani Concilii.*

Sed cum in dies augeretur Fidelium numerus, ita ut Diœceſani Epiſcopi vix unquam iis omnibus ruri ſupereſſe poſſent, in ruſticis Eccleſiis inſtituti ſunt Paræciales Presbyteri, & in minoribus oppidis Chorepiſcopi, *Can.*8. *Antiochenæ Synodi*, id eſt Epiſcopi in villis, unde aliquando dicuntur Villani Epiſcopi. Et forte in *lib. Diurno Rom. Pontificum*, *cap.*1. *tit.*8. Epiſcopus Forenſis non alius eſt, quam

Chor-

Chorepiſcopus in Diœceſi Pontificis Romani, foras aut extra urbem poſitus in minori quodam oppido; quod ſit Romanæ Diœceſis ad differentiam ſuburbicarii Epiſcopi, de quo in *cap.* 3. qui poſitus ſit in alia majori civitate Summo Pontifici immediate ſubjecta. Epiſcopus, inquam, forenſis non alius eſt, quam Chorepiſcopus. Nec obſtat ratio Garnerii, quod titulus ille ad Epiſcopum Forenſem poſitus ſit inter Patriarcham & Archiepiſcopum Ravennatem, quaſi ad majorem aliquem Prælatum ideo pertinere debeat: conſtat enim ab eo valde interturbatum fuiſſe ordinem ejus libri; & hoc adſtruit optimæ notæ Codex Manuſcriptus, quem mihi commodavit Vir Clariſſimus D. Bignonius Patricius.

Chorepiſcopi antiquiores ſunt in Eccleſia Græca, quam in Latina. In illa jampridem occurrunt ſub finem tertii ſeculi, nempe in *Can.* 13. *Ancyranæ Synodi*, & in *Can.* 13. *Neocæſar.* Cumque in iis ordinetur & coerceatur poteſtas Chorepiſcoporum, omnino dicendum eſt eos jam antea cognitos fuiſſe. Et ſtatim cœperunt eſſe frequentiores; nam plures ex iis Nicenæ ſubſcripſerunt. Sed in Latina occurrunt tantum ſub finem quinti ſeculi, nempe in Synodo Regienſi.

Conſtat vero Chorepiſcopatum non fuiſſe ſpecialem Ordinem, ut male quidam volunt, ex *Can.* 12. *Calched. Concilii*, in quo inter Ordinandos Clericos ponitur Chorepiſcopus. Nam hoc ita ſcriptum eſt propter ſpiritualem Juriſdictionem, quam ille habet, quæque per pecuniam conferri non poteſt. Conſtat etiam Chorepiſcopos majores fuiſſe Paræcialibus

Pres-

Presbyteris, cum iis præesſent, eosve regerent. Verius tamen eſt, per Ordinationem fuiſſe tantum Presbyteros, non etiam Epiſcopos, Primo enim ab uno tantum Epiſcopo ordinabantur, Epiſcopi ſaltem a tribus: Secundo in vicis tantum ordinari ſolebant, Epiſcopi in majoribus tantum Civitatibus: Tertio ſubjacebant Diœceſano Epiſcopo, Epiſcopi Metropolitano: Ac tandem Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, illi autem ſeptuaginta Diſcipulorum, *dicto Can.* 13. *Neocæſar. Concilii*. Ita ut rectiſſime dicat Leo Magnus quantum ad ipſam Ordinationem, Chorepiſcopos eoſdem eſſe ac Presbyteros.

Erant tamen non contemnendæ dignationis in Eccleſia. Ferrando Diacono dicuntur Vicarii Epiſcoporum, ſaltem forenſes in ſuis villis, earum Eccleſiis & Monaſteriis. Plebem continebant in officio pietatis, ex ſententia & licentia Diœceſani Epiſcopi. Subdiaconos aliosve minores Clericos ordinare poterant, non etiam Presbyteros & Diaconos, ne quidem ex conſenſu Epiſcopi. Ac ſi eos ordinaſſent, irrita erat eorum ordinatio, quia iis nunquam ſacri Canones eam permiſerant, ait Balſamon ad *dictum Can.* 10. *Antiochenæ Synodi*. Sane uno caſu eos ordinare poterant ex conſenſu Epiſcopi, ſi ante adeptum Chorepiſcopatum Epiſcopi fuiſſent, ut in *dicto Can.* 10. & in *Can.* 8. *Nicæni Concilii*.

Quidam volunt eoſdem fuiſſe χωρεπισκόπους ac περιοδεύτας, cum tamen conceptiſſimis verbis diſtinguantur in *L. omnem* 42. §. 9. *Cod. de Ep. & Cl. & in aliis quibuſdam locis*. Ac forte Laodicæni

Pa-

Patres in *Can.* 57. generaliter meminerunt περιοδευτῶν, ſicut & Photius in *Nomocan. tit. primo Cap.* 34. generaliter inſcribit περὶ τῶν περιοδευτῶν, id eſt, de iis omnibus, qui vel officii ſui proſpectu, vel ſuperiorum mandato, certas quaſdam Eccleſias viſitant, circumeunt, circumcurſant. Quidam ex iis occurrunt non tantum Chorepiſcopi, ſed etiam ſimplices Presbyteri, ut in *actione quarta & decima Calched. Concilii*, Alexander & Valentinus dicuntur Presbyteri & Periodeutæ. Sicque omnis Chorepiſcopus erat quidem περιοδεύτα, ſed non omnis Periodeuta erat Chorepiſcopus. Sic etiam conſtat, Chorepiſcopos certam habuiſſe ſedem, & aliquando etiam περιοδέυτας, in qua conſtituebantur ab Epiſcopo, ut eſt in *d. Can.* 57.

Denique cum Chorepiſcopi durius agerent in Epiſcopos, eorumque jura quotidie uſurparent, omnibus odioſi eſſe cœperunt, & ejecti ſunt ab Eccleſia, *Can. Chorepiſcopi, Diſt.* 68. qui deſumtus eſt ex *Epiſt. quinta Damaſi Summi Pontificis ad Epiſcopos Africæ*, quam laudat Joannes III. in *Epiſt. un. in princ. & Metenſe Concilium in Can.* 8. ſicque vix eſt ut ſuppoſita videatur. Nec obſtat, quod non exoleverint, niſi diu poſt Damaſum: nam & conſtat Leonem III. reſcripſiſſe Carolo Magno, ejiciendos illos eſſe quaſi omnino inutiles; & tamen diutius adhuc poſtea remanſerunt; quod molles quidam ac deſides Epiſcopi eos retinerent ad quietem ſuam. Ac tandem omnino ejecti ſunt juxta decimum aut undecimum ſeculum, & in eorum locum ſucceſſerunt Decani & Archipresbyteri Rurales, ut ſuo loco videbimus. Atque

etiam ducentis annis poſt ejectos Chorepiſcopos, deſides illi Epiſcopi ſecum habere cœperunt quoſdam Monachos, qui Epiſcopi erant in partibus infidelium, & quos aliquandiu appellarunt ſuos ſuffraganeos.

De Chorepiſcopis eſt *Epiſtola nona* Damaſi in *editione Sanazarii*. Eſt *tractatus* Rabani Mauri apud D. de Marca. Et ejus ſingulare *caput* 14. *lib.* 2. *de Concordia Sacerdotii & Imperii*.

TITULUS XVI.

De Presbyteris & Archipresbyteris.

EPiſcopis proximi ſunt Presbyteri, *l.* 5. *Cod. Th. de Hæret.* Presbyter aliquando generale nomen eſt, & omnes Clericos continet, ut notat Balſamon ad *Can.* 15. *Ancyranæ Synodi*. Eſt etiam nomen ætatis, ait S. Auguſtinus. Ac ſæpius nomen eſt honoris & dignitatis, quod alicui per Ordinationem imponitur. Eſt miniſter ſacratus, cui ex ordine ſuo licet offerre, prædicare, aliove ſacro miniſterio fungi, *Can.* 1. *ejuſdem Synodi*. Eſt Miniſter ſacratus, quod commune habet cum Epiſcopo & Diacono, *Can.* 31. *diſt.* 23. Cui licet offerre, id eſt, Sacrum Chriſti Corpus conficere, apud Tertullianum; & ſummum magnum illud eſt in Presbytero, quod ex ſua Ordinatione habet: ſimul enim Chriſtus Dominus & Presbyteros fecit, & inſtituit Sacramentum Altaris, præcipiens Apoſtolis ut idem facerent,

Ad-

Additur & prædicare: nam officium Presbyteri non modo conſiſtit in celebratione officii, ſed etiam in docendo, ait Balſamon ad *Can.*20. *ſextæ Synodi in Trullo*.

Ac tandem cum additur, alio Miniſterio Sacro fungi, addendum præ ceteris, audire Confeſſionem & abſolvere a peccatis, quod non Angelis, non Archangelis, ſed ſolis Presbyteris datum eſſe, ait S.Chryſoſtomus, *lib.*3. *de Sacerdotio*. Et hinc ſummam Sacerdotum dignitatem adſtruit. Sane Balſamon ad *Can.*52. *Apoſt.* & ad *Can.*6. *Carthag.Concilii*, contendit Sacerdotium non tribuere poteſtatem ligandi & ſolvendi; ſed eam pendere omnino ex ſpeciali conceſſione ipſius Epiſcopi; quia Chriſtus Dominus ſeorſim Apoſtolos fecit Presbyteros, & ſeorſim iis dedit poteſtatem clavium. Sed Tridentini Patres *Seſſ.*23. *de Reform.Can.*15. aſſerunt, Presbyteros in ſua Ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipere per hæc verba Chriſti Domini, quibus Ordinans Epiſcopus Presbyterum alloquitur. *Cujus peccata remiſeris, erunt remiſſa in cœlis*.

Verum S.Hieronymus, S.Chryſoſtomus, & Theodoretus, docent ſub ipſis Apoſtolis Presbyteros etiam appellatos fuiſſe Presbyteros & Epiſcopos; nam & in *Actis Apoſtolorum*, in *Epiſtolis ad Titum & Timotheum*, Epiſcopi & Presbyteri promiſcue uſurpantur: ſed iidem aſſerunt non diu illud remanſiſſe, & ſtatim ab Epiſcopis diſtinctos fuiſſe Presbyteros. S. Hieronymus in *Commentariis ad Titum* docet, qua occaſione introducta fuerit ea differentia, ut, inquit,

Schiſmatum diſſidia tollerentur: cum enim ex Diſcipulis alius diceret ſe eſſe Pauli, alius ſe eſſe Apollo, placuit ut unus de Presbyteris præponeretur aliis, ad quem totius Eccleſiæ cura pertineret, quique ſolus diceretur Epiſcopus. Et hinc cum Auguſtino in *Epiſt.* 19. dicendum eſt, ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatum Presbyterio majorem eſſe: quod nullatenus facit eos omnes non eſſe inſtitutionis Divinæ. Qui enim a Chriſto Domino inſtituti coaluerant aut concurrerant in iiſdem perſonis propter aliarum penuriam, ab Eccleſia variis conferri cœperunt creſcente Fidelium multitudine. Et cum Hieronymo in *Epiſt.* 85. Presbyterum ab Epiſcopo differre, tantum Ordinatione: addendum & Chriſmatione, ut hic ſolus Ordinare & Baptizatos Confirmare poſſit, ut ſuo loco videbimus. Quidam volunt etiam Diaconos ex ſingulari privilegio a Presbyteris ordinari poſſe; ſed hoc non eſt iſtius loci.

In antiquis Canonibus occurrunt etiam Presbyteræ, ut legit Ferrandus, & pro iis uxoribus, quas quidam Presbyteri duxerant ante ſuam Ordinationem, ut in *Cap.* 18. *diſt.* 32. & poſtmodum in earum ſorores mutatæ: & pro ſenioribus viduis, quæ pauperes curabant, & potiſſimum baptizandas mulieres, ut in *Can.* 12. 4. *Carthag. Concilii*. Nec tamen ullatenus ordinabantur, nec quid habebant Sacri Ordinis. Unde & veteres Græci Canones non eas vocabant πρεσβύτερας ſed πρεσβυτίδας ſeniores. Statim abjerunt in deſuetudinem ex *Can.* 11. *Laod. Synodi*, ac præ-

ſertim

ſertim cum ſæpius infantes Baptizari cœperunt, nec adeo frequentia fuerunt adultorum Baptiſmata.

Sunt etiam Archipresbyteri, ſeu Primicerii aut Primarii Presbyterorum. Olim quidem Presbyter ille aliis præibat, qui antiquior erat Ordinatione: ſed ad ſublevandam Epiſcoporum ſollicitudinem creati ſunt Archipresbyteri (aliquando Decani) qui præſint quibuſdam paræcialibus Presbyteris. Sane aliquando Archipresbyter dicitur, qui perſona eſt alicujus Eccleſiæ, ſeu Cardinalis aut principalis ejus Presbyter, & præeſt aliis Presbyteris in ea inſtitutis, ut in *cap.2. Ext. de Off. Archipresb.* Hic de eo non agitur; ſed de Archipresbyteris, qui ex ſua inſtitutione aliis quibuſdam Parochis præſunt, eos viſitant, & de iis referunt ad Diœceſanum Epiſcopum. Unde forſan Stephanus Tornac. in *Ep.*14. recte ſic alloquitur quemdam Archipresbyterum: *Tu penes quem non minima portio Juriſdictionis Eccleſiaſticæ conſiſtit*.

Duo genera ſunt Archipresbyterorum, ut alii ſint Urbani, alii Rurales, prout in Urbe conſtituuntur, vel in Vicis. Sicut vero Civitatenſes Presbyteri omnino præferuntur forenſibus aut vicanis, *Can.*13. *Nœocæſ. Concilii*: ita & Urbani Archipresbyteri ruralibus aut vicanis. Sed iis omnibus præferri conſtat Archidiaconos: quod licet præpoſterum & inſolens; attamen certum & antiquum eſt, ait Cujacius. Nec alia ratione prius hic agitur de Archipresbyteris, quam quod Presbyteris Archipresbyteros jungere voluimus, quaſi ejuſdem Ordinis,

ſicut & poſtea Diaconis Archidiaconos.

TITULUS XVII.

De Diaconis & Archidiaconis.

Diaconus proprie ſignificat Miniſtrum, & ſæpius ſimpliciter ita dicitur. Inſtituti ſunt Diaconi, ut miniſtrarent menſis, ſicque Apoſtoli ab Oratione & Miniſterio Verbi non avocarentur, *Act. cap. 6.* Et omnino verius eſt, eos omnibus menſis & prophanis aut communibus miniſtraſſe, quibus præcipue adhibebantur pauperes; & ſacris in quibus adoranda Euchariſtia diſtribuebatur. Primo enim ex iis Philippus & Stephanus baptizarunt, & prædicarunt. Secundo iis Apoſtoli manus impoſuerunt. Tertio Apoſtolus in iis eandem ſanctitatem deſiderat, ac in Presbyteris. Ac tandem Ignatius, Polycarpus, & Cyprianus ſacrum vocant Diaconorum miniſterium, eoſque ſacris peragendis adhibitos fuiſſe docent: & hinc omnino dicendum eſt *Can. decimum ſextum ſextæ Synodi in Trullo*, eſſe contra mentem Sacræ Scripturæ, cum ait inſtitutos illos fuiſſe tantum, ut communibus menſis miniſtrarent. Nec tamen dici poteſt ſuppoſitus, cum Ariſtænus, Mathæus Blaſtares, Zonaras, & Balſamon ad eum ſcripſerint Notas.

Quodnam ſit Diaconorum officium, pluribus docent Author *Conſtitutionum Apoſtolic. lib. 2.* Iſidorus Hiſpal, & alii veteres, qui ſcripſerunt de Divinis Officiis:

ciis : puta ut ſacrificantibus Presbyteris adſint & miniſtrent. Cum enim ſacrati ſint, altare ingredi & ad illud miniſtrare debent, ut baptizare poſſint, *Can.77. Illiberit.Concilii*, & apud Bedam *lib.2. hiſt. Eccleſ.cap.12.* Tertullianus *de Baptiſmo cap.17.* addit, non tamen ſine Epiſcopi authoritate, quæ tamen ſtatim deſiderata non eſt, ut Sacramenta diſpenſare & prædicare poſſint, ait Yvo Carnot. in *ſerm.de reb. Eccleſ.* Cum tamen olim in Eccleſia legerent tantum homilias Sanctorum Patrum, *Can.2. ſecundi Vaſenſis Concilii*, ut res Eccleſiaſticas curent & miſerabiles perſonas. Cumque ita nihil fere eſſet in Eccleſia, quod eorum manus & oculos fugeret, adeo ſuperbire cœperunt, ut ipſis etiam Presbyteris præeſſe vellent. Sed ſacri Canones & Sancti Patres eos ita redegerunt in Ordinem, ut Presbyteris omnino ſubjaceant ac miniſtrent. Quis patiatur, ait S.Hieronymus in *Ep.85.* ut menſarum & viduarum miniſter ſe ſupra eos efferat, ad quorum preces Chriſti Corpus & Sanguis conficitur.

Fuerunt etiam Diaconæ aut Diaconiſſæ, non tantum in Orientali, ſed etiam in Occidentali Eccleſia, ut palam eſt ex *lib.27.& 28. Cod.Th. de Ep. & Cler.* & ex multis Eccleſiæ Gallicanæ Synodis. Sancti Patres earum Ordinationis quaſi Clericalis meminerunt paſſim, quæ tamen propriè tantum erat Benedictio. Vel etiam Eccleſiæ naſcentis exordio inſtitutæ ſunt, ut fœminarum honeſtati conſuleretur in earum Baptiſmo. Sed ſtatim in Occidentali Eccleſia ſublatæ ſunt, *Can.1. Araufican*, *Can.26.*

Concilii Epaonenſis : deinde etiam in Orientali. Balſamon in reſponſis ad Marcum Patriarcham Alexand. *cap.*15. ait eas olim habuiſſe βαθμὸν ἐν τῷ σήματι gradum ad altare: & ſtatim ſubjicit: *Menſtruorum autem inquinatio miniſterium earum a Divino & Sancto Altari expulit* .

Ex Diaconis creati ſunt Archidiaconi , ſeu Priores Diaconorum , *cap.*1. *Ext. de Scrut. in Ord. fac.* qui jam occurrunt in Eccleſia non multo poſt Nicænum Concilium apud Optatum *lib.*1. *contra Parmen.* & apud Sanctum Hieronymum in *Epiſtolis* . Præſunt celebrandis Ordinationibus: Ordinandos examinant & præſentant Epiſcopo : Diaconis & inferioribus Clericis præcipiunt. Sidonius eos vocat Antiſtites ſecundi Ordinis . Olim tamen nullam habebant Juriſdictionem in Presbyteros, *Can. ult. diſt.*94. Cumque iis præeſſe voluerunt, Epiſcopi duobus præcipue modis eum faſtum cohibere cœperunt: & eos ordinando Presbyteros , tunc enim ſe degradari cenſebant , apud S. Hieronymum, Leonem Magnum, & Gregorium Magnum ; & plures inſtituendo, qui olim unus tantum erat in qualibet Diœceſi, quaſi numero vileſceret eorum dignitas : quod etiam Imperatores decreverunt in Præfectis Prætorio. Sed invaluit , Archidiaconos præeſſe Presbyteris jam a ſexto ſeculo , *Can.*6. *Altiſſiodor. Concilii.*

Imo & quamvis Ordine minores ſint Archipresbyteris , & in iis , quæ ſunt Ordinis , poſt eos nominentur , *Can. Salvator.*11. *quæſt.*3. Attamen iis etiam præeſſe cœperunt , non quidem ordine ; ſed di-

dignitate & juriſdictione, quaſi locum tenentes Epiſcopi, *Can.7. ſextæ Synodi in Trullo*. Eoque reſpectu priores recenſentur paſſim, ac potiſſimum in *Can.1. Andegav.Concilii*, in *cap.1.Ext.de ætat.qual. & Ord. Præf.* & Arnulphus Lexovien. in *Epiſt.27.* ſcribit veterem illam eſſe conſuetudinem Pictav. Eccleſiæ. Unde Iſidorus rectiſſime habet in *Can.perlectis, diſt.25. Archipresbyter vero ſciat ſe eſſe ſub Archidiacono*. Nec dicendum eſt illud eſſe ſuppoſitum. Primo enim vera eſt ea ſententia. Secundo alibi etiam extat ex eodem Iſidoro. Ac tandem Innocentius III. in *cap.7. Ext.de Off. Archid.* eam Iſidoro adſcribit. Ejus rei ratio eſſe potuit, quia Epiſcopi ſuis Archidiaconis Juriſdictionem ſuam mandare cœperunt in quibuſdam Diœceſeon ſuarum partibus, nec minimam rerum Eccleſiaſticarum curam & adminiſtrationem concedere: ſicque Presbyteris & Archipresbyteris majores fuerunt, non quidem ordine, ſed dignitate, ut jam diximus.

Ac tandem Archidiaconi ſaltem Diaconi eſſe debent, *d.cap.1*. Nec tenentur eſſe Presbyteri, *Can.6. & 8. diſt.74*. Unde Petrus Bleſenſis & ipſe Batonienſis Archidiaconus in Anglia in *Epiſt.123.* ſcribit Diaconatus Ordinem annexum eſſe Archidiaconis, nec eos cogi poſſe ad eminentiores Ordines aſcendere: & ſubjicit eorum honorem non augeri, ſed minui, ſi promoveantur in Presbyterium officium.

TITULUS XVIII.

De Subdiaconis & aliis Minoribus Clericis.

SUbdiaconi ſunt Eccleſiaſtici Miniſtri, ut Diaconos in ampliori miniſterio adjuvent. Eorum mentio jam extat in Canonibus Apoſtolorum & apud S.Cyprianum. Olim Subdiaconatus non erat Ordo ſacer; ſed ſimplex miniſterium, vel officium Eccleſiaſticum. Unde per manus impoſitionem non conferebatur, ſed per ſimplicem benedictionem, *Can.*5. *Concilii Carthag.IV.* ſub S.Auguſtino. Nec Subdiaconi cum aliis ſacratis Miniſtris locum habebant in ſanctuario, nec ſacra Vaſa tangere poterant, *Can.*21. & 22. *Laodicenæ Synodi*; quando nempe in iis reconditum erat Sacroſanctum Chriſti Corpus, ut interpretantur Zonaras & Balſamon. Ideoque cum ordinabantur, inanem patenam, & vacuum Calicem ab Epiſcopo accipiebant, *d. Can* 5. & in *Sacramentario Gregorii Magni*. Nec etiam Orarium ferre poterant, quæ vox mere Latina occurrit apud Vopiſcum in *Valeriano*,& Faſciam,Inſtitam,ſeu Stolam ſignificat, quam Miniſtrantes Diaconi ſiniſtro lateri habent impoſitam.

Sed cum invaluit Subdiaconis non amplius concedi carnale conjugium, ait Leo Magnus in *Ep.*82. & Gregorius Magnus *lib.*1. *Reg.Ep.*42. facilius etiam receptum eſt Subdiaconatum eſſe inter ſacros Ordines, ut de ſuo tempore teſtatur Yvo Carnot.

not.in *ſerm.*2. Sicque Innocentius III.in *cap.*9.*in fin. Ext.de æt.qual.& ord.præf.* dicere potuit ex Conſtitutione S.Gregorii, Subdiaconatum eſſe ſacrum Ordinem, quod ei Cælibatum impoſuerit, perinde ac aliis Ordinibus ſacris. Conſtat etiam eum non ſtatuiſſe ut ſit Ordo ſacer; quippe qui ſcripſerit in ſuo ſacramentario,Subdiaconatum non habere manus impoſitionem: quod etiam habet Joannes Diaconus in *ejus vita, num.*31. Ac tandem ſicut ex Diaconis electus & inſtitutus eſt Archidiaconus, ita & Archiſubdiaconus in quibuſdam Eccleſiis inſtitutus legitur in *Concilio Altiſſiodor. Can.*6. & in *ordine Romano*.

Sunt adhuc minores Clerici: apud Græcos duo tantum, puta Lectores & Cantores epiſtolarum, *Can.*25. *Conſtitutionum Apoſtolic.lib.*6.*cap.*17. & in *Nov. Juſtiniani ſexta*. Latini nunquam inter eos Clericos habuerunt Cantores, ſed Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, Acolytos: de quibus omnibus paſſim agitur in antiquis Canonibus,& apud SS.Patres.Nec male Petrus Abælardus in *Ep.*7. contendit,Eccleſiam a Synagoga Judæorum accepiſſe omnes illos Ordines, quos habet in Gradu vel in Miniſterio.

TITULUS XIX.

De Canonicis.

OMnes olim Clerici recte dici poterant Canonici, ut in *Epiſtola Baſilii Magni ad Amphilochium Can.6.* tum quia omnes erant in Canone, id eſt, in Catalogo Eccleſiaſtico, *Can.17. Nicæni Concilii*, & *Can.2. Calchedonenſis*; tum quia per Ordinationem, Canoni, ideſt, Miniſterio Eccleſiaſtico addicebantur, prout Canon accipitur *2.ad Corinth.cap.10.* tum quia ex reditibus Eccleſiaſticis Canonem, id eſt, penſionem, aut certam aliquam menſuram accipiebant, ut paſſim apud S.Cyprianum, & quia ſub Canone agebant, id eſt, ſub certa quadam regula Eccleſiaſtica.

Ejus regulæ præcipuum caput erat de vita communi. Omnes quidem fideles ſtatim eam egerunt ſub Apoſtolis, *Act.cap.6.* Sed cum Eccleſiæ authoritas differentiam fecit inter ordinem & plebem, ſtatim etiam laici ab ea vita communi receſſerunt, & ſoli Clerici eam retinuerunt, quibus omnibus omnia erant communia, *Can.duo ſunt, Can.neceſſaria 12. quæſt.1.* Ferventes tamen perſecutiones eam vitæ communionem inter eos etiam fere abjecerunt. Semper quidem erat Clerus, erat Presbyterium, ut docent Ignatius & Cyprianus. Sed clandeſtini tantum erant Conventus in Cryptis, in Speluncis: & ita vix eſt, ut Clerici viverent in communi, cum & ſeorſim

ſpor-

ſportulas, ſeu ex bonis Eccleſiæ certas quaſdam annonas acciperent ſingulis diebus, aut menſibus, unde Cypriano dicuntur Fratres ſportulantes in *Ep.*26. & 55. Sed & cum dicitur olim omnes Clericos vitam communem egiſſe, hoc utique dici poteſt de iis, qui Epiſcopis in Civitate aderant. Cum enim poſt pacem Eccleſiæ datam, inſtituti ſunt Clerici & in Vicis, & in Caſtellis, & in Municipiis, ut eſt in *l.*16. & 33. *Cod. Th. de Ep.* vix eſt ut illi a ſe invicem remotiores vitam communem agere potuerint; niſi cum plures in eadem forenſi Eccleſia inſtitui cœperunt, ut voluit Yvo Carnot. in *Ep.*213.

Poſt Conſtantinum igitur multi ſanctiores Epiſcopi quoſdam Clericos ſecum in ſuis Epiſcopiis aut Cathedralibus Eccleſiis habere cœperunt, quibus omnibus erat una domus, una menſa, omnia denique communia. Hoc de Orientali Eccleſia teſtantur Sozomenus *lib.*6. *hiſt. Eccleſ. cap.*31. *in fin.* & S.Baſilius in *Ep.*63. Eandem quoque vitam communem in Occidentali Eccleſia primus inſtituit S.Euſebius Vercellenſis Epiſcopus ab Oriente pro S.Athanaſio reverſus, teſte S.Ambroſio in *Ep.*26. Ubi cum ait ſanctum hunc Epiſcopum in ſua Eccleſia conjunxiſſe officia Clericorum, & inſtituta Monachorum, quæ in Oriente agens didicerat; hoc nihil aliud eſt, quam eum docuiſſe quomodo Clerici ſuis officiis fungi poſſent, & ſimul vitam communem agere: quod præcipuum eſt vitæ Monaſticæ caput, quamvis ea plurimum repuguare videatur ab iis Clericalibus Officiis.

Hoc

Hoc ab eo didicit Ambroſius & in ſua Eccleſia docuit, a quo S. Auguſtinus in ſuam, & antea S. Martinus in Galliam exportaverunt; qui tamen omnes vitam hanc communem inter ſuos Clericos non tam primo inſtituerunt, quam reſtaurarunt; tum primum enim ab Apoſtolis inſtituta fuerat. Unde Petrus Bleſenſis in *ſermone de S. Auguſtino*, ait eum non eſſe primum Inſtitutorem ejus vitæ, ſed reparatorem & reſtauratorem, quæ fere per diuturnas perſecutiones abolita erat inter Clericos. Hic quidem decreverat ſe nullos admiſſurum eſſe Clericos, quam qui cum eo vitam hanc communem agere vellent; ſed ab eo propoſito recedere coactus eſt, cum multo plures eam profiteri nollent, ut ipſe teſtatur in *ſerm. 2. de vita communi Clericorum*; quod etiam de ſe ipſo S. Ambroſius.

Poſſidonius in *vita S. Auguſtini* ait, ejus exemplo plures Epiſcopos in ſuis Epiſcopiis inſtituiſſe Monaſteria Clericorum, ſeu ſacras Ædes, in quibus Clerici vitam communem agerent: & ab ea dici cœperunt Canonici Clerici, quod in eadem matricula inſcripti ſecundum Canones cum ſuis Epiſcopis, de communi viverent in communi, ait Stephanus Tornac. in *Ep.* 118. Epiſcopi eos habere cœperunt quaſi aſſeſſores & conſiliarios, cum quibus & ex quorum conſilio res Eccleſiaſticas gubernarent, adminiſtrarent Eccleſiaſtica Sacramenta, & Divinum Officium celebrarent; ut paſſim videre eſt apud S. Ignatium, ſed præcipue in *Ep.* 2. & 11.

Sicut vero tum primum inter Clericos vitæ com-

communis obſervatio interquievit propter perſecutiones; ita & ſæpius frigeſcente charitate, in multis locis defecit, & ſubinde paſſim etiam Deus Sanctos quoſdam viros dedit, qui eam reſtituerent, S.Iſidorum Hiſpal. in Hiſpania, S.Egbertum Eborac. in Anglia, Chrodegandum Metenſem, qui Clericis Canonicis regulam ſcripſit ſub Carolo Magno, quam Ludovicus Pius in ſuo *Aquiſgran. Concilio* ſequutus eſt; Petrum Damianum in Italia, & adhuc Yvonem Carnot. in Gallia. Neque vero appellati ſunt Canonici S.Auguſtini, quod eam Regulam ſervent, quam præſcribit in *Epiſt.* 109. Eam enim mittit ad ſuam ſororem quarumdam Monialium præpoſitam: nec alibi extat in ejus operibus, quam in ea Epiſtola. Et hinc cum Concilium illud iis longiorem regulam ſcripſit, ne verbum quidem deſumſit ex ea Auguſtiniana, quam videbat fœminino genere conſcriptam pro Monialibus: ſed ideo ſic dicuntur, quod regulam ſuam magna ex parte deſumſerint ex duobus ſermonibus S.Auguſtini *de vita communi Cler*, Nec iis data eſt regula Concilii Aquiſgran. quod aliquid Canonicæ & Apoſtolicæ vitæ contrarium contineret; puta res quaſdam habere proprias in *Can.* 115. quod ad petitionem Petri Damiani prohibitum fuit in duobus Romanis Conciliis.

Id genus Canonici Clerici non tantum in Epiſcopiis inſtituti ſunt, ſed etiam in Monaſteriis, quorum Prælati appellabantur Abbates. Eorum omnium jam mentio fit in *Can.* 23. & 24. *tertii Turon. Concilii*. Sed cum nec in eo, nec in Aquiſgran. nec in re-

regula Chrodegandi, agatur de Minoribus Eccleſiis, quas hodie Collegiatas dicimus, quæque Canonicos habent. Quidam volunt, eas prodiiſſe tantum circa decimum ſeculum, eaſque primo fuiſſe Abbatias Canonicorum Regularium, qui tandem mutati ſint in ſeculares. Sed forte id genus Eccleſiæ jampridem occurrunt in *tertia Juſtiniani Nov.* ubi ait, Conſtantinopoli quaſdam eſſe Minores Eccleſias, in quibus inſtituti Clerici propriis ſumtibus exhibentur; alias vero, in quibus Cathedralis Eccleſia quoſdam ex ſuis Canonicis inſtituit & exhibet. Conſtat etiam noſtram hanc Eccleſiam S. Albini ab initio habuiſſe Clericos Canonicos, in quorum locum poſiti ſunt Monachi. Sicut & Eccleſiam S. Dionyſii ad Lutetiam, ſub Carolo Calvo, nec eas antea fuiſſe Abbatias.

Verum Aquiſgran. Concilium ſecularibus Canonicis viam aperuiſſe videtur, cum in *Can.* 115. Canonicis res proprias & res Eccleſiæ habere permiſit, ut jam diximus: nihil enim magis canonicæ aut communi vitæ repugnat, quam aliquid habere proprium. Unde Crantzius in *Metropoli. lib.* 1. *cap.* 26. non tam male ait Concilium illud Regulam ſcripſiſſe Canonicis Regularibus & Secularibus. Non multo poſt S. Rembertus Bremenſis fundavit Eccleſiam cum Præpoſito & Canonicis ſecularibus, apud incertum Authorem *de vita Bremenſium Archiepiſcoporum*. Sed cum circa decimum & undecimum ſeculum vita communis deficeret in omnibus Eccleſiis, ait Yvo Carnot. in *Ep.* 213. Clerici Canonici ſeculari-

ritatem

ritatem acceperunt, ait S.Bernardus in *Ep.*87. quod præcipue 12. seculo invaluit, quo Stephanus Tornac. agens in *Ep.*118. 160. 172. ait, modernam esse illam dissolutionem, & generalem Ecclesiæ Gall. consuetudinem, ut singulares portiones singulis Canonicis concedat, & ita seculariter vivant. Arnulphus Lexovienſis in *Ep.*25. docet, quosdam Episcopos huic novæ Institutioni faviſſe, ut Ecclesiastica bona sic divisa suis nepotibus facilius concedere possent; quod stante vita communi præstare, aut exequi non poterant.

Sic Clerici Canonici in Monasteriis remanserunt, & Petrus Abælardus S. Bernardi æqualis in *Ep.*3. ait, eos noviter seipsos appellasse Canonicos Regulares, quæ gemina nomenclatura, idem plane significat; nec tamen omnino frustranea est: nam dicuntur Canonici quod nomen dignitatis est, & Regulares, quod sublata Regula, vitam communem agant, ait ille idem Stephanus in *Ep.*1. *circa fin.* Quique ab ea recesserunt, eadem ætate appellati sunt Canonici seculares, vel quod singulares & seculares idem plane sint, idem in *Ep.*85. vel quod pro Canonicis regulis amplexi fuerint libertatem seculi, ut de iis Trithemius Abbas in *Chron. Hirsaugenſi*.

Sensim adeo invaluerunt Canonici seculares, ut omnes fere Cathedrales Ecclesias obtinuerint, & Regulares amandati fuerint in quasdam Abbatias. Statim etiam eorum secularium & Episcopi separata negotia, *cap.*21. *Ext. de rescript.* Separata est mensa Capituli a mensa Episcopi, quod nihil aliud est,

quam utriuſque ſubſtantia aut bona omnia, prout menſa generaliter accipitur apud Gregorium Turon. *lib.* 11. *cap.*3. & in *Concordia regularum cap.*65. §.2. In ea diviſione quædam ſoli Epiſcopo relicta ſunt, quæ inconſulto Capitulo faciat, *tot. tit. de iis, quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu cap.* Quædam Epiſcopo & Capitulo communia quæ ſine utriuſque conſenſu fieri non poſſunt; qualis eſt alienatio rerum Eccleſiaſticarum,*cap.*1. *eod.* Ac tandem quædam ſoli Capitulo, de quibus Canonici ſtatuta facere poſſunt paſſim in *tit. de Conſtit.* Eaque ab omnibus Canonicis obſervanda ſunt, vel etiam ab eorum ſucceſſoribus, ſi modo utilitati Eccleſiæ conveniant, ait Innocentius III. *lib.*1. *Reg. Ep.*64. nec ſint contra ſacros Canones, humanasve leges ſeu regias, ut rectiſſime addit Balſamon ad *Can.*1. *Conſtantinopolitanæ Synodi.*

Ea etiam facienda ſunt a majori parte Capituli; tunc enim ab omnibus facta præſumuntur. Quod ita placuit,ut rebus Eccleſiaſticis finis imponatur,*cap.*48. *Ext.de Elect. & Elect.pot.* tum etiam quia ubi major eſt numerus, ibi etiam prudentius præſumitur eſſe Conſilium, *cap.*22. *ibid.* Et hinc duo illa ſæpius junguntur, major & ſanior pars. Ut autem ſit major pars,ſufficit duas adeſſe Canonicorum partes(ſi modo alii etiam vocati fuerint) ut de Collegio Decurionum dicitur in *l.*3. & 4. *ff. quod cujuſque univerſ. nom.* & *l.*3.*de Decret. ab Ord. fac.* Nec requiritur ut duæ illæ partes eadem plane ſentiant, ſufficit eas adeſſe; quodque a majori earum parte ſtatutum fuerit, il-

illud obſervandum eſt. Nec obſtat quod vulgo dicitur, tres facere Capitulum: nam hoc nihil aliud eſt, quam ſufficere in quadam Eccleſia tres inſtitui Canonicos, ut iis concedatur Jus Capituli. Nam ſi plures inſtituti ſunt, abſurdum eſſet tres ex iis ſeorſim convocatos ſtatutum facere poſſe, quod ab aliis omnibus ſervaretur.

Quamvis autem plures Canonici in eadem Eccleſia inſtituti ſint, attamen non ſemper Jus Capituli habent, ſed ita demum ſi ab Epiſcopo datum iis fuerit, *cap.14. Ext.de Exceſs. Prælat.* quod ſæpius ab ipſa fundatione pendet, ait Gloſſa *Prag.Sanct.ad tit.de Elect.* Et hinc ſtatuta facere poſſunt de rebus ad ſuam Eccleſiam pertinentibus, habent arcam, & ſigillum,*cap.ſignificavit*, *Ext. de appell.* & ipſum Capitulum Juriſdictionem in ſuos Canonicos habet ſaltem correctionalem.

Denique ſingulare Canonicorum officium eſt, pſallere in Eccleſia. Yvo Carnot. in *Epiſt.218.* de quodam Pariſienſi Canonico agens ſic loquitur: *Ad hoc inſtituta eſt Clericalis militia, ut pſalmodiæ & hymnodiæ quotidianum Deo offerat Sacrificium. Ibi Can.131. & 132.* cautum eſt ut Canonici religioſiſſime pſallant in Eccleſia. Quod exſcriptum eſt in Regula Canonicorum Chrodegandi MetenſisEpiſcopi *cap.24. 25. & 26.* Cumque inſtituti ſint, ad quotidianum pſallendi officium, ſi ad illud non conveniant horis Canonicis, a Clero deponendi ſunt, *Can.ult.diſt.92.* Et per ſe ipſos in ea pſalmodia deſervire tenentur tanquam in principali officio,quod Eccleſiæ debent.

TITULUS XX.

De Monachis.

MOnachus, id eſt, ſolus, ait S.Hieronymus in *Ep. ad Heliodorum*, ſic dictus a ſingulari & ſolitaria vita, inquit Caſſianus in *Collat.* 18. *cap.* 5. S.Benedictus in *cap.* 1. ſuæ Regulæ quatuor facit genera Monachorum, ut alii ſint Cœnobitæ, alii Anachoretæ ſeu Eremitæ, alii Sarabaitæ, alii Gyrovagi. Cœnobitæ, qui ſub Regula & Abbate vitam communem agunt: Anachoretæ, qui cum diu ſub Regula & Abbate probati ſunt, ſecedunt in Eremum ſeu deſertum aliquem locum: Sarabaitæ (ea vox eſt *Ægyptiaca*) qui nulla Regula probati a Congregatione Cœnobii recedunt, ut ſuo arbitrio vivant; Gyrovagi, qui nunquam ſtabiles, hinc inde vagantur & currunt. S. Benedictus ait, Sarabaitas teterrimum genus eſſe Monachorum, & tamen Gyrovagos iis eſſe deteriores. In hoc titulo agitur potiſſimum de Cœnobitis.

Sulpitius Severus in *vita S.Martini*, & S.Hieronymus in *vita S.Pauli Eremitæ*, primam Monaſticæ vitæ Inſtitutionem in Oriente huic Paulo adſcribunt, & Antonio ejus diſcipulo. Prior Anachoretas, alter Cœnobitas inſtituit; & initio tertii ſeculi egerunt ſub Decio & Aureliano. Nec multo poſt floruit S.Baſilius. Sed quomodo & quando ea vita in Occidente prodierit, docet Hieronymus in

Epi-

Epiſtola ad Principiam. Cum nempe S.Athanaſius Romam venit,& ſecum exportavit vitam S.Antonii, quam ipſe conſcripſerat, eam Romanis dedit, eosque docuit quomodo eam ſequi poſſent. Tunc in Occidente tot propemodum erant Regulæ,quot Monaſteria, inquit Caſſianus *lib.2. de Inſtitutis Monachorum cap.2.* alibi ſola voluntas Abbatis erat pro Regula, alibi antiquæ traditiones. Sed tandem initio ſexti ſeculi S.Benedictus Regulam ſcripſit,quam omnes fere Monachi receperunt. Rectiſſime tamen Bernardus ait eam quidem omnibus propoſitam fuiſſe non imperatam: eodem enim tempore fuit Regula Cæſarii, Aureliani, Columbani, & aliorum.

Ludovicus Pius in ſuo *Aquiſgran. Concilio* juſſit,ut in omnibus Regni ſui Monaſteriis una obtineret Regula S. Benedicti, ut ſcribit Anonymus in *ejus vita*. Et diutius in Gallia non alii fuerunt Monachi, quam Benedictini. Cumque nigris veſtibus induerentur, & Clerici Canonici albis, quidam volunt hinc ortam fuiſſe generalem hanc diviſionem, ut alii dicerentur Monachi albi, alii vero nigri; quam alii repetunt a Ciſtercienſibus, qui albis indui cœperant. Olim omnes Monachi habebant nigras veſtes, ut etiam agnoſcit Zozimus, & Hincmarus *lib.5.* quod propriæ eſſent Lugentium & Pœnitentium, quales omnino erant Monachi. Sed tandem tot prodierunt Ordines Monachorum, tot Veſtium diverſitates, ut Innocentius III. in generali Concilio Lateran. prohibuerit ne novi Ordines inſtituerentur,*cap. ult. Ext.de Regular.* Urſpergenſis Abbas

in *Chronico*, ait ſodalitia Fratrum Mendicantium, mundo jam ſeneſcente, irrepſiſſe in Eccleſiam.

Monachi ſe ipſos ſtatim dixerunt Religioſos, ſuamque diſciplinam vocarunt Religionem: quam tamen denominationem primi Imperatores Chriſtiani Clericis, & Clericali profeſſioni tum primum dederant, *l.*46. *Cod.Th.de curſu pub. l.*123. *Cod.de decurio*. Ejus denominationis rationem indicat Salvianus *lib.*2. *ad Eccl. Cathol.* quia Religio eſt ſcientia Dei & voluntatis Divinæ; quique Monaſticam vitam agunt, teſtantur ſe optime voluntatem illam cognoſcere, & ſpondent ſeu promittunt ſe eam exactiſſime ſervaturos. Illi omnes olim erant laici: S.Hieronymus paſſim eos ſeparat a Clericis; & in Concilio Calchedon. pro laicis habentur: imo nec ordinari ſolebant, quia eorum officium eſt ſemper lugere & orare, ut ille idem Hieronymus. Eorum vita quædam eſt pœnitentiæ profeſſio, ait Zonaras ad *Can.*2. *Pſeudo-Synodi octavæ*. Ex ſacris autem Canonibus Pœnitentes & lugentes ordinari non poſſunt, quaſi criminum rei. Et hinc olim vel Abbates ſuos Monachos ducebant ad Paræciales Eccleſias, ut in iis Divina audirent; vel ſecularem Presbyterum habebant, qui ordinatus eſſet ad titulum ſui Monaſterii, ut in eo Divina celebraret, ut ſuo loco videbimus. Sed tandem & ſacri Canones & leges Imperiales, Eccleſiaſtica utilitate ſuadente, permiſerunt ordinari poſſe Monachos: & hinc fere omnes ordinati ſunt: nec enim ex Monaſtica profeſſione ſunt irregulares, quia ex ſola pietate & devo-

tione

tione pœnitentiam agunt, quæ irregularitatem non parit, *Argum.Can.qui recedunt.*26. *quæst.*6.

Cum aliquis vult fieri Monachus, Abbas per quatuor aut quinque dies in atrio Monasterii explorare debet, an Spiritus ille sit ex Deo: postea in Monasterium admissus senioris cuidam Monacho traditur erudiendus, & Abbas eum reponit inter Novitios, quæ vox est a servis noviter acquisitis. S. Benedictus in *Capite de disciplina suscipiendorum fratrum*, vult ut Novitii utantur secularibus vestibus, quod etiam probat *V.Aurelian. Concilium Can.*19. Cassianus *lib.*4. *de institutis renuntiantium*, *cap.*5. & 6. ut Monasterii vestibus utantur, & eorum propriæ serventur iis reddendæ, si abjerint; quod & sæpius hodie observatur. In Orientali Ecclesia statutum erat triennium ad Novitiatum, quod Palladius in *Lausiaca cap.*38. adscribit Regulæ Pachomii, & probat Justinianus in *Nov.*5. S. Benedictus annum tantummodo desiderat. Ea Presbytero durissima erat in rebus etiam vilissimis, & fere ultra captum humanum, ut docet Cassianus *ibidem cap.*24. & 26.

Post probationem sequitur professio, quam nisi Novitiatus præcedat, ea vitiosa & inutilis est, *cap.*8. & 16.*Ext.de regularib.*Qua ætate facienda sit sæpius variatum. In *Can.*10. *Romanæ Synodi*, sub Sylvestro I. vigesimus-quintus ætatis annus desideratur. S.Basilius in *Regula sua cap.*7. desiderat pubertatem, qua nuptiæ contrahi possunt. Quod etiam probat Pontifex in *d.cap.*8.Sed in *Epistola ad Amphilochium Can.*18. eam ætatem, quæ rationis complementum

habeat, puta, inquit, 16. aut 17. annum. Tridentini Patres generaliter volunt annum decimum-ſextum & quidem completum, quod & probant Regiæ Conſtitutiones. Ea profeſſio publica in Eccleſia, in præſentia Abbatis & totius Congregationis facienda eſt in ſcriptis, & ab ipſo profeſſo ſubſcribenda, ex Regulis S. Baſilii & S. Benedicti: & Abbas eam acceptare & recipere debet, *cap.* 13. *eod.* & quidem ſolus ille, in cujus Monaſterio facta eſt integra probatio, *cap. ult. de Regul. in* 6. qui ejus profeſſionis eſt tantum teſtis, non etiam Dominus aut dictator, ait S. Bernardus in *Epiſt.* 7. & 108. aliquando Abbas & Monachi profeſſionem recipiunt, *d. cap. ult.*

Ex iis etiam ſuſcipiendus tria ſpondere ac profiteri debet, de converſione morum, de ſtabilitate, & de obedientia. 1. Eſt renunciare omnibus ſeculi oblectamentis & actibus, & Evangelicæ perfectioni ſtudere: alterum eſt promittere ſe ad extremum vitæ ſpiritum in eo Monaſterio remanſurum, in quo facta eſt profeſſio. Unde dicitur ſtabilitas loci apud S. Bernardum in *lib. de præcepto & diſpenſatione*, & Gaufridum Vindocin. *lib.* 4. *Ep.* 2. 3. facile eſt. S. Baſilius addit votum caſtitatis, quamvis agnoſcat eam Monachiſmo contineri in *ead. Ep. Can.* 19. Sed tandem concepta ſunt tria illa vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ. Ea eſt expreſſa profeſſio; ſed olim erat etiam tacita, cum aliquis veſtem Monaſticam geſtaverat per annum integrum, *cap.* 22. *Ext. de Regul.* Tridentinum Concilium eam abrogavit. Tria illa S. Benedicti vota Monachi accepiſſe videntur ab ip-

ipsis Clericis, qui nec ab ea Ecclesia recedere poterant, ad quam fuerant ordinati, nec amplius se immiscere secularibus negotiis, & ordinatori Episcopo promittebant obedientiam.

In antiquis Canonibus vel propria professio facit Monachum, vel paterna devotio. Cum Pater filium suum, vel etiam infantem in palla Altaris involverat & obtulerat Monasterio, ut in eo fieret Monachus. Illud soli patri & matri concedebatur, ait Petrus Blesensis in *Epist.* 54. Nam & Servius ad Virgilium notavit, solum patrem devovere posse suos liberos. Ejus devotionis effectus ille erat, ut oblatus ille puer perpetuo esset Monachus, nec unquam a Monachismo recedere posset, *Can. quicumque* 20. *quæst.* 1. *Can.* 1. 20. *quæst.* 2. Sed quia durum erat ignorantem puerum huic voto adstringi; placuit eum in Monasterio teneri, & tantum remanere ad pubertatem, eaque ætate videre posse, an velit esse Monachus necne, *d. Can.* 1. quod etiam in Clericis olim obtinuisse palam est ex *Can.* 1. *Primi Toletani Concilii apud Reginonem in prima appendice ad libros de Discip. Eccles.* Negligentia eorum qui Monachismum ab infantia induerant, non minima fuit ruina Monasteriorum, ut observat Guibertus Abbas de Novigento *lib.* 1. *de vita sua, cap.* 8.

Effectus professionis Monasticæ breviter indicat S. Benedictus in *Regula sua* iis verbis: Suscipiendus sciat se lege Regulæ constrictum, quod ex illa die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de jugo Regulæ. Nam ea est pactum cum Deo factum,

ctum, & poſt eam voluntas mutatur in neceſſitatem, ait Petrus Bleſ.in *Ep.* 131.atque ita,ut Profeſſus Monachus fiat quaſi ſervus Monaſterii, *cap.ult. Ext. de Regular.* Unde quidquid habet aut acquirit, illud ſit Monaſterii, quia nihil poteſt habere proprium; nec in ea re Summus Pontifex cum eo diſpenſare *cap.6. in fine, ibid.* Ipſum quidem Monaſterium proprias poſſeſſiones habere poteſt, nec ideo læditur proprietatis abnegatio vel Apoſtolica paupertas; nam & Apoſtoli quædam habebant communia, & eorum exemplo Baſilius ait, inter Monachos non eſſe propriam & privatam poſſeſſionem; ſed omnia omnium eſſe communia.

Invaluit etiam,Monachum profeſſum a quolibet ſucceſſore arceri. Sane olim ſuccedebat, & habebat heredes, iiſque deficientibus bona ejus, non fiſco, ſed Monaſterio acquirebantur, *l.*20. *Cod. de Ep. l.de Ep.*13. *Cod.de Sacroſ.Eccleſ.* Juſtinianus voluit tandem in *Nov.*5. Profeſſi Monachi omnia bona cum eo dedicari & acquiri Monaſterio. Sed ea bonorum illorum dedicatio admiſſa non eſt in Gallia, & poſt profeſſionem ſtatim inter Monachi heredes dividi poſſunt, perinde ac ſi deceſſiſſet. Eoque reſpectu Monachus dicitur mundo mortuus; quod jam olim dixerant Baſilius & Gregorius Magnus. Nec dicendum eſt, mortuum illum eſſe civiliter, quaſi capite minutus ſit; nam & olim utramque teſtamenti factionem habuit, ac proinde habitus non eſt, quaſi capitis minutionem paſſus, cum ad perfectiorem ſtatum aſcenderit. Nec obſtat quod hodie non ſuc-

cedat

cedat exheredatus filius; & tamen non dicitur capite minui. Ad Monachos propius accedunt Templarii & Hospitalarii. Imo & a S.Bernardo dicuntur Monachi: quippe qui & Regulam, & Vota, & Superiores habeant, perinde ac alii Monachi. De Electione Abbatis actum est, *supra in tit. de Electione.*

TITULUS XXI.

De Monialibus.

SEmper Ecclesia Virgines habuit, quæ se perpetuo sacræ legis obsequio dedicarunt, *l.6. C.Th. de sensu*; quæ Christiano ritu sacratæ erant Divino cultui, ait Ammianus Marcellinus etiam Ethnicus *lib.*18.Olim quidem cum puellæ quædam Deo Virginitatem suam dedicabant, a Diœcesanis Episcopis committebantur parentum custodiæ, ut legit Dionysius Exiguus in *Can.*44. *Carthag. Concilii*, ut in paternis Ædibus sanctum servarent propositum, *Can.*19. *quinti Aurel. Concilii*. Quod si parentibus orbatæ essent, aut aliis gravioribus fœminis commendabantur, aut cum aliis Virginibus instituebantur in Ædibus communibus, ut invicem custodirent, *d.Can.*44. Eaque forte sunt Collegia Virginum, de quibus S.Ignatius in *Ep.*8. quarum consecratio seu benedictio soli Diœcesano Episcopo competit. Clotarius II. in *edicto* suo ad 5. *Parisiense Concilium* meminit earum Monialium, quæ in propriis Ædibus residunt, & quæ in Monasteriis positæ sunt.

Ædes

Ædes illæ communes ſtatim excreverunt in Monaſteria Monialium; & in Occidentali Eccleſia eandem plane originem habuiſſe videntur ac Monaſteria Monachorum; cum nempe S. Athanaſius Romam venit, ut in ſuperiori *tit.* diximus. Appellatæ ſunt Moniales, aut Sanctimoniales, ſeu Sanctæmoniales, a Sanctitate, ait S. Auguſtinus *lib. de Sancta Virginitate*, *cap. ult.* S. Hieronymus jam eas vocat *Nonnas*, Ægyptiaca voce, quæ Monachas ſignificat. Et ſtatim iis præſcriptæ ſunt Regulæ a Sanctis Patribus Auguſtino, & aliis, puta Cæſario & Aureliano utroque Arelatenſi Epiſcopo; nam in Gallia Sacras hujuſmodi Virgines jam ſub Valentiniano fuiſſe conſtat, ex *d. l. 6.*

Qua ætate Moniales olim velatæ fuerint, ſæpius variatum eſt. Primo placuit faciendam eſſe differentiam inter Viduas & Virgines: ut Viduæ ſacrum velamen non acciperent, niſi ſexageſimo ætatis anno: Virgines quadrageſimo, quem etiam ſervabat Eccleſia Gallicana, *Can.* 19. *Agath. Concilii*: poſtea ſtatuit vigeſimum-quintum, *Can.* 28. *tertii Turon. Concilii*. S. Baſilius velavit Virgines an. 17. quia videbat Eccleſiam gratia Dei magis confirmatam, atque ulterius progredientem & proficientem, ut addit Scholium, quod inter Canones Harmenopuli relatum eſt *ſectione quarta*. Tridentinum Concilium generaliter definivit decimum-ſextum ætatis annum, quod etiam probavit Bleſenſis Conſtitutio. Conſtat enim, Principes tempus illud Monaſticæ Profeſſionis definiviſſe, ut de Majoriano, Juſtiniano, & Caro-

lo

lo Magno probari facile poteſt. Sicut & ne unquam puellæ velentur abſque conſenſu parentum, *Capitularium lib.*1. *cap.*101. Nec eas ab aliis conſecrari poſſe, quam ab Epiſcopis, aut ex eorum mandato, a Sacerdotibus,non etiam ab ipſis Abbatiſſis aut aliis Monialibus,*ſexti Pariſ.Concilii Can.*43. Ac tandem adeo ſolemnis erat ea profeſſio, ut non fieret, niſi certis diebus feſtis, puta in Epiphaniarum die, aut in albis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum natalibus, *Can.devotis* 20. *q.*1. Additus eſt etiam dies Dominicus, in *cap.*1. *Ext.de temp.Ordin.*

Ex earum Monaſteriis alia erat, in quibus illæ perpetuo tenebantur incluſæ, non etiam in aliis, *d.Can.*19. quod etiam agnoſcit Julianus Anteceſſor ad *Nov.*73.*in fin.* Cæſarius & Aurelianus ſtatuerant, ut nunquam ab iis egrederentur. Ludovicus Pius in ſuo *Aquiſgran.Concilio*, *Can.*10.ſtatuit, ut firmiſſimis munitionibus undique circumdentur Monaſteria puellarum. Bonifacius VIII. in *cap. un. de ſtatu Monachorum in ſexto* præcipit, ut quælibet Monialeſ ſub perpetua clauſura maneant; quod probavit Tridentinum Concilium, ſicut etiam Bleſenſis Conſtitutio. Rationem hanc afferunt probabiliorem, propter periculum mundanæ converſationis, Yvo Carnot. in *Ep.*10. ut ita facilius immortali Sponſo complacere poſſint, Petrus Abælardus in *Ep.*7.ut facilius pœnitentiam agant.

Nihil vero frequentius occurrit, quod in ſacris Canonibus prohibitum ſit, quam ut aliquid dari vel promitti pro ingreſſu Monaſterii.Mera ea eſt ſimonia,

ſi

ſi aliquid detur, exigatur, aut qualibet conventione interpoſita promittatur, ut quædam recipiatur Monialis: hoc eſt emere & vendere donum Spiritus Sancti. Sed prohibitum non videtur, ut ſuſcipienda, vel ejus parentes, ultro & ſola charitate ſuadente, aliquid donent Monaſterio ad eleemoſynam & alimenta. S. Benedictus illud permittit in ſua *Regula cap.* 66. S. Placidus omnia illa bona ei donavit, quæ habebat in Sicilia. S. Hieronymus in *Ep. ad Demetriadem* contra eos parentes durius agit, qui modico ſumtu filias ſuas Religioni tradunt, ut pro aliis ditiores generos in ſeculo inveniant. Salvianus Maſſil. *lib.* 3. *ad Eccleſ. Cathol.* graviter arguit eos parentes, qui liberos ſuos Religioni traditos non amplius agnoſcunt, & quodammodo exheredant.

TITULUS XXII.

De vita & honeſtate Clericorum.

CUm Apoſtolus *prima ad Corinth. cap.* 14. *in fin.* jubet, ut omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant, ſacri Canones honeſtatis regulas ſcripſerunt Clericis. Ea latius patet, ac potiſſimum conſiſtit in moribus, in actionibus & publicis & privatis, in ipſo viven di genere, in ſermonibus, in geſtu, & inceſſu, ait S. Ambroſius *lib.* 1. *de Off. cap.* 18. Præcipua quædam ejus honeſtatis capita expendenda ſunt.

I. Cum omnibus dixit: *Nolite inebriari vino*, *in*

in quo est luxuria (non quidem ex natura vini, sed ex ejus immoderato usu *Can.7.dist.35.* & alibi) Non oportet Sacerdotem esse vinolentum, id est, nec ebrium; seu non vino gravem, nec ebriosum, seu non ebrietati deditum. Sacri Canones passim jubent, ut Clerici ab ebrietate abstineant, tota fere *dist.35.* eique fini continuam habeant honestatis memoriam, ait Petrus Blef. in *Ep.7.* Prohibent etiam, ne Cauponas ingrediantur, nisi causa necessitatis in via constituti, alioquin segregantur, *Apostolorum Can.54.* seu ab ordinis sui exercitio deponantur in perpetuum, *Can.9. sextæ Synodi*; quia, inquit Balsamon, sacri Canones volunt Clericos vitam agere ab omni reprehensione alienam; nec vulgus offendere, sed excitare ad bonum & ad pietatem; ideoque Cauponas iis omnino interdicunt, quæ sunt loca famosa, & ejusdem juris ac lupanaria, *l.21. §.11. ff.de recep. qui arb.recep. l.8. Cod.Theod.de Tyron.*

II. Prohibent, ne Clerici alea ludant, aut aleis interfint, *cap.15.Ext.hoc tit.* Omnibus quidem Christianis prohibita est alea, *Can.79. Illiberit.Concilii*, quia omnes aleatores sunt Idololatræ, ait Tertullianus in *lib.de Idololatria*, *cap.5.* Sed præcipue Clericis, quia inquit S.Cyprianus, aut alius Author *Libri de Aleatoribus*, vix est ut manus, quæ ad Sacrificium Dominicum admissa est, quæ signum Crucis imprimit, quæ Divina Sacramenta consummat, ut iterum Diaboli laqueis implicetur: vel ut loquitur Justinianus, in *Nov.123. cap.10.* pudendum est, ut sacratis illis manibus tesseras aut talos contrectent.

Sed

Sed nec aleatoriis intereſſe debent, ne cum aleatoribus participent, paciſcantur, & communicent, nec ibi audiant voces blaſphemas & ſacrilegas, quæ in iis locis frequentiores ſunt. Ea ſunt Juſtiniani *ibid.*

III. Jubent ut abſtineant a conſortio & cohabitatione mulierum, *tot. tit. de cohab. Cl. & Mul.* Nam ea decoloratur, id eſt, dehoneſtatur dignitas Sacerdotii, *l.* 44. *Cod. Th. de Epiſ.* Excipiunt matrem, ſororem, filiam, germanam, amitam, materteram, *Can.* 3. *Nicæni Concilii*. Quia fœdus naturale, quod inter eas perſonas intercedit, tollit omnem ſuſpicionem, *d. l.* 44.

IV. Cum Chriſtus Dominus ex templo ejecerit ementes & vendentes, & Apoſtolus dixerit Clericos non debere turpis lucri eſſe cupidos: Sacri Canones iis prohibent negotiationem, ſeu ne commercia exerceant. Olim quidem cum pauper erat Eccleſia, iis utrumque permittebat intra Provinciam negotiari ad victum quærendum, *Can.* 19. *Illiber. Concilii*, & Impp. Chriſtiani volebant eos eſſe immunes a tributis negotiantium, *l.* 8. & 15. *eod. Cod. & Tit.* Sed cum Eccleſia bonis abundare cœpit, iis commercium interdixit; tum quod anxia & tumultuoſa negotiationis ratio procul abſit a profeſſione Clericorum, qui ſolius Dei & Eccleſiæ miniſterio deputati ſunt, ait Petrus Bleſenſis in *Ep.* 17. tum quod negotiantium vita nihil fere aliud ſit, quam fraus, mendacium, & perjurium, ait Salvianus *lib.* 3. & 4. *de Provid.* Iis tamen domeſticos fructus vendere permiſſum; nam hoc non eſt negotiari, ſed rem ſuam familiarem curare,

rare, *l.*12. & 13. *Cod. de Luſt. Collat.*

V. Clericalis honeſtas conſiſtit in veſtibus. Et hic agitur tantum de civilibus, quas nempe Clerici geſtant, cum prodeunt in publicum: non etiam de Sacratis, quibus utuntur ad Sacram Synaxim, aut in Eccleſia, non tantum in quotidiano uſu, ait Anaſtaſius Bibliot. in *Stephano I.* Sicut autem verius eſt, Sacerdotes naſcentis Eccleſiæ temporibus, nec habuiſſe ſacratas veſtes diſtinctas a civilibus, ita nec civiles, quæ diſtinguerentur a veſtibus laicorum, habebant viliores, puta byrros, lacernas, ut de S.Cypriano, Pontius: de S.Martino, Sulpitius: de S.Auguſtino, Poſſidius: a plebe diſcernebantur doctrina, non veſte; converſatione, non habitu; ait Celeſtinus I. in *Epiſt. ad Epiſcopos Viennenſis & Narbonenſis Provinciæ*, communi & ſolita veſte utebantur, *Can.*12. *Gangrenſis Concilii.* Zonaras ibi docet Euſtathianos pannoſa & lacera veſte uti ſolitos: quod cum a Sanctis Patribus non probaretur, Clericis attributæ ſunt quædam veſtes, ut eſt in *Can.*27. *ſextæ Synodi.* Et a ſacris Canonibus præcipue cautum eſt, ut veſtibus decorem non quærant, *Can.*45. *Carthag. quarti Concilii.* Sed eas habeant ſibi ſuoque Ordini convenientes; S.Anſelmus eas ideo vocat ordinatas. De iis multa in *Tit. Decretal. de vita & honeſt. Cleric.* puta remiſſas aut talares, non ſplendidas aut pretioſas, ſed utcumque nitidas, & unius coloris, olim albi, hodie nigri, quod color ille humilitati, modeſtiæ, & pœnitentiæ magis conveniat. Præter civiles & ſacratas Clericorum veſtes, ſunt & aliæ quibus

utuntur in choro in Eccleſia. Ut nempe ſint in albis veſtibus, ut ſint albis induti, ait Gregorius Turon. *lib.*4. *Hiſt.cap.*36.*lib.de glor.Conf.cap.*20.& S.Hieronymus *lib.*1.*adverſ.Pelag.*

VI. In Coma. Cum Apoſtolus prohibet, ne vir Comam nutriat; præceptum illud ad omnes quidem fideles pertinet, ait Clemens Alexand.in *Pædagogo Chriſti*; ſed ſacri Canones illud maxime reſtrinxerunt ad Clericos, ne longiores habeant crines, ut honeſtus Clericorum habitus facile demonſtretur, nec videantur milites, aut luxurioſi, ait S.Hieronymus, ad *caput* 44. *Ezechielis*. Et Canones volunt, ut attonſo capite, miniſtrent patentibus auribus, *Can.pen. diſt.*23.

VII. In Barba. Gregorius VII. *lib.*8. *Reg.Ep.*10. ſcribit, ſemper eam fuiſſe conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, ut Clerici non nutriant barbam, ſeu prolixam non habeant. Et forte Clericalis honeſtas poſtulat, ut eam habeant juxta receptam ſapientiorum & honeſtorum cujuſcumque loci conſuetudinem.

TITULUS XXIII.

De Conjugatis Clericis.

NIhil magis convenit honeſtati Clericali, quam caſtitas & continentia. S.Hieronyms in *libris contra Joviniauum* eam traditioni Apoſtolicæ adſcribit, imo & vult eam in Chriſto Domino fundatam, qui Virgo de Virgine naſci voluit, & omnes ferri

Apo-

Apoſtolos habere Virgines. Petrus quidem fuit uxoratus; ſed Hieronymus eum ante Apoſtolatum uxorem duxiſſe, & poſtmodum eam reliquiſſe contendit ex reſponſione Chriſti ad illud Petri, *ecce nos reliquimus omnia* : nam reſpondens, Chriſtus præmium iis proponit, qui propter nomen ſuum uxorem reliquerint, *Math.cap.*19. Nec tamen continentia in ipſis etiam Sacerdotibus eſt de Jure Divino; nam & conjugatus fuit Petrus, ſicut & plures Sancti Patres, Epiſcopi & Sacerdotes.

Recentiores Græci Canoniſtæ, Zonaras, Balſamon, Math.Blaſtares,& alii poſt ſchiſma,volunt ſemper licitum fuiſſe quibuslibet Clericis uxores ducere. Multa quidem ejus rei exempla occurrunt initio Eccleſiæ, ſed Sanctus Hieronymus *lib.*1. *contra Jovinianum*, & S.Epiphanius in *Hæreſi* 59. reſpondent, illud ita obſervatum, quod tunc non alii eſſent Ordinatione digni, quam mariti & conjugati: atque etiam ſæpius utilitas publica illud ſuaſit, cum nempe Ordinandi proponerentur viri ſummæ pietatis, aut eruditionis. Græci utuntur etiam Hiſtoria Paphnutii ſenioris Epiſcopi apud Socratem & Sozomenum; qui volunt ſanctum hunc virum interceſſiſſe in Nicæno Concilio, ne matrimonium interdiceretur Clericis.Sed forte ſuppoſita eſt ea fabula. I.Enim Socrati ejus Authori habenda non eſt fides, utpote qui Novatianus cum Clericis & Laicis confunderet Nuptias, ut ſcribit Nicephorus. II. Ait Paphnutium feciſſe, ut de ea re nihil ſtatueretur in Nicæno Concilio; cum tamen illud in *Can.*3. uxorem in-

ter eas mulieres non repoſuerit, quas Clerici ſecum habere poſſunt, quaſi non ſuſpectas, & quam ex Paphnutio retinere potuiſſent, ſi quidem iis permiſſæ fuiſſent nuptiæ. III. Fabula illa repugnat omnibus Sanctis Patribus & Canonibus, qui & Concilium illud præceſſerunt & proxime ſequuti ſunt. Ac tandem vix eſt ut Oſius Cordubenſis Clericorum nuptias probare potuerit in Nicæno Concilio, qui non multum antea, in *Can.*33. *Illiberit.* eas condemnaverat.

Eccleſia quidem Occidentalis ab initio etiam conjugatos, deficientibus aliis, ordinavit; ſed ſemper voluit a ſuis majoribus Clericis ſervari continentiam, in *d.Can.*33. ſic habet: *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis abſtinere ſe a ſuis conjugibus*. Prohiberi, id eſt, præcipi aut juberi, ſicut in *prima ad Timotheum cap.*4. prohibentes abſtinere a viris, ideſt, præcipientes, ait ibi S.Anſelmus. Nec tamen eas plane abjiciebant; ſed eas habebant quaſi ſorores & converſas ad eandem videlicet continentiam, *Can.*2. *& 3. ſecundi Arelat. Concilii*. Quod etiam docent paſſim Tertullianus, Hieronymus, Ambroſius, & Auguſtinus, & *d.Lex.*44. *Cod.Th. de Ep.& Cl.* quæ ad Latinam Eccleſiam pertinet, mittitur enim ad Præfectum Præt. Italiæ. Diſciplinam hanc breviter indicat Hieronymus in *Ep.*50. ſicut inquit Apoſtoli, aut Virgines erant, aut continentes, ita & Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, aut Virgines eliguntur, Vidui, aut certe poſt Sacerdotium in æternum pudici:

dici: Eam quoque confirmat non etiam primus introducit Siricius S. P. in *Ep.* 1. & 4. Atque ita ut ſi incontinentes viverent, deponerentur, & ad Laicam communionem redigerentur; ut eſt in 3. & 4. *Aurelian. Concilio*.

Cum Eccleſia illa conjugatis Clericis continentiam imponeret, ſemper etiam voluit eos, qui ordinati eſſent innupti, ſervare cælibatum; ſed cum illud non ſatis obſervaretur, circa ſextum ſeculum, in 2. & 4. *Concilio Toletano*, prohibuit ne uxores ducerent, *Can.* 4. & 6. *diſt.* 28. & poſtmodum in eam rem innumeræ prodierunt & Conciliorum, & Summorum Pontificum conſtitutiones, quæ tamen frequentiſſimas Clericorum nuptias tollere & impedire non potuerunt, forte ſenſim eas abrogarunt temporales quædam pœnæ, quas Chriſtianiſſimi Reges Philippus Pulcher, Philippus Audax, & alii, conjugatis Clericis irrogare cœperunt, puta ut tallias & alia vectigalia ſolvere tenerentur; ut non amplius haberent Eccleſiaſtica Privilegia; ut ſuis Beneficiis ipſo jure privarentur, quamvis eorum matrimonia poſt Ordinationem contracta, ipſo jure nulla eſſent propter votum caſtitatis in Ordinatione adhibitum, ut docet Hugo de Sancto Victore ex Baſilio ad *Amphilochium*, *Can.* 6. & Innocentio II. in *Synodo Rom.* Denique Latina Eccleſia ſemper minoribus Clericis permiſit contrahere nuptias, imo & poſteriores Pontifices volebant eos retinere Privilegia & Beneficia; quod omnino abrogatum eſt.

Nunc de Orientali Eccleſia. Cum Stephanus III.

in *Can. ult. dist.* 31. ait Orientales Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos matrimonio copulari, hoc nihil aliud est, quam post Ordinationem suam propriis uxoribus uti. Nam constat eos non potuisse matrimonium postea contrahere, *Can.* 2. *Neocæs. Concilii*, & loquitur secundum sui temporis usum circa finem octavi seculi. Verius autem est, eam Ecclesiam ab initio & a prima origine sua ejusdem fuisse opinionis ac Latinam, seu Occidentalem, ut nempe non aliter conjugatos Clericos propter aliorum penuriam ordinaret, quam sub lege continentiæ, seu ea tantum conditione, ut omnino a suis uxoribus abstinerent.

Hoc omnino adstruunt Græci Patres. Origenes in *homilia* 23. *in Numeros*. Mihi videtur, inquit, illius esse solius offerre sacrificium indesinens, qui se indesinenti voverit castitati. Eusebius *lib.* 1. *de demonstrat. Evang. cap.* 9. Christiani Sacerdotes deinceps se continere debent a commercio suarum uxorum. Epiphanius in *hæresi* 59. Ecclesia eum solum ordinat, qui a sua uxore continentiam promittit, ac si aliter obtineat in quibusdam locis, hoc est contra Canones, aut per aliquam dispensationem. Chrysostomus idem fere habet in *homilia* 10. *in primam ad Timotheum*. Nec dicendum est illud ita tantum obtinuisse, quando sacrificaturi erant: nam inquit Balsamon & ipse Græcus ad *Can.* 13. *sextæ Synodi in Trullo*, quomodo se excusabunt qui quotidie sacrificant?

Idem occurrit in Græcis Canonibus, in *Nicæ-*

no

*no Can.*3. ut supra diximus: in *Anciran. Can.*10. ubi si Diaconus, in ordinatione sua professus non fuerit, quod uxorem ducere velit, continentiam professus intelligitur. Priorem aliam ejus Canonis partem abrogat Justin. in *Nov.*123. *Can.*14. *in Can.*20. *Carthagin. Concilii secundi*; si quis Diaconus cum uxore sua incontinenter vixerit, ad Sacerdotium non admittitur: in *Can.*3. *V.Carth.Concilii*, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, se ab uxoribus continere debent secundum prima statuta, ut legitur in *Cod. Canonum Eccl.Afric. Can.*25. & apud Gratianum in *Can.*4. *dist.*84. duo quidem illi *Carthag.Canones* latine primitus editi sunt, sed in *d.Cod.* Græce scripti sunt, eo quod a Græcis inserti sunt in *C.Can.Orientalis Ecclesiæ*. Sicque veteres Græci nec etiam ordinabantur, nisi sub lege continentiæ; sed tandem ab ea omnino recesserunt in 6.*Synodo Can.*13. *circa fin. septimi seculi*: quod non omnino improbat Innocentius III. in *cap.*6. *ext. de Cler. Conjug.*

CANONICI JURIS INSTITUTIONUM

LIBER SECUNDUS.

TITULUS I.

De rebus Eccleſiaſticis & earum acquiſitione.

JURISCONSULTI res tractant, prout alicujus fieri poſſunt, & quatenus in humana ſocietate gubernantur & reguntur, *L.1. Cod.de Vet.Jure Enucle.* Summa earum diviſio ea eſt, ut aliæ ſint Divini Juris, aliæ ſint humani. In his Inſtitutionibus vix agitur de rebus humani Juris, quæ nempe in bonis ſingulorum hominum eſſe poſſint. Quamvis enim Eccleſiaſtica bona utcumque videantur res humanæ; attamen recte dicuntur Divini Juris, quod Divinis uſibus conſecratæ ſint. Ita & videntur quidem res hominum, quod ſinguli Clerici ea poſſideant; ſed ea tenent tantum, quaſi Eccleſiæ Miniſtri, & Dei & Eccleſiæ nomine poſſident.

Sicut vero Juriſconſulti res quaſdam ſimpliciter faciunt Divini Juris, & quaſdam quodammodo Divini Juris, *§. Sanctæ Inſt. hoc tit.* Ita & in Jure Canonico dici poteſt res quaſdam Eccleſiaſticas proprie & ve-

& veluti per eminentiam eſſe Divini Juris:quæ nempe ſunt omnino Divinæ Inſtitutionis, quæ in Eccleſia nullum aliud Authorem habent quam Deum; qualia ſunt Sacramenta, quæ dicuntur res Dei apud Tertullianum in *Apologet.cap.*39. Atque etiam quaſdam eſſe res quodammodo Divini Juris, quæ nempe ab hominibus inſtitutæ ſunt ad Dei cultum, & Miniſterium: qualia ſunt Eccleſiaſtica bona; quæ proprie non ſunt res Dei, ſed ab hominibus inſtituta in Eccleſia; & tamen utcumque ſunt Divini Juris, quia ſunt patrimonium Deo creditum, ait Cyprianus in *lib.de Opere & Eleemoſynis*. Omnes illæ res dicuntur Eccleſiaſticæ, quia commiſſæ ſunt Eccleſiæ.

Secunda earum rerum diviſio ea eſt,ut aliæ ſint ſpirituales aliæ temporales. Ea fluxit ex iis Apoſtoli verbis 1. *ad Corinth. cap.*9. *Qui ſpiritualia ſeminat, corporalia metere debet*: quæ eadem plane ſunt ac temporalia aut carnalia. Spirituales ſunt,quæ ad ſolum Spiritum aut ad ſolam animam ſpectant, ſeu quæ a Spiritu Sancto datæ Spiritum vivificant, ait Sanctus Anſelmus ad eum Apoſtoli locum. Quales ſunt Sacrorum confectio, Sacramentorum adminiſtratio, celebratio Divini Officii, remiſſio peccatorum: quæ, ut diximus, Tertull.ſunt res Dei, & Agobardo Lugdunenſi res Domini. Res temporales dicuntur, quæ ad tempus, ad ſolam vitam corpori proſunt, cum ſpirituales in perpetuum proſint animæ; vel etiam res temporales ſunt, quæ temporali pretio æſtimantur & comparari poſſunt,ait Gerſon in *Moralibus ſcientiis*.

Ali-

Aliquando quidem Eccleſiaſtica prædia dicuntur etiam Spiritualia, ut in *c.2.Ext.de Jud.* Sed improprie & attributive tantum, quod Spiritualibus inſerviant & ad ea referantur, ait idem Gerſon in *Lectione 2.ad S.Marcum.* & in *lib.de vita Spirituali animæ cap.3.* Et rectiſſime Galli Canoniſtæ in Beneficio Eccleſiaſtico ſpirituale diſtinguunt, puta ejus Titulum, Collationem, Adminiſtrationem ei a Canonibus adſcriptam, a temporali, qualia ſunt prædia aut ſtipendia ei adſcripta.

Sicut vero Juriſconſultus in eodem Inſtitutionum ſuarum titulo, ſimul egit de rer.diviſ.& acquirendo earum dominio; ita forte non inconveniens erit huic rerum Eccleſiaſticarum diviſioni, ſubjicere modos illos, quibus omnes illæ res fiant Eccleſiæ. I. quidem Sacramenta & aliæ res Dei, fluxerunt ex latere Chriſti Domini, ait Sanctus Auguſtinus: Sacrum illud eſt depoſitum, quod Eccleſiæ ſuæ cuſtodiendum tradidit, ut ex Apoſtolo Vincentius Lirinenſis ait in *commonitorio*. Ex rebus temporalibus aliæ ſunt mobiles, de quibus ſuo loco; aliæ immobiles, quæ quomodo eſſe cœperint Eccleſiæ videndum. Quidam hæretici contendebant olim Eccleſiæ non convenire poſſeſſiones, aut res immobiles ſub paupere Chriſto, qui tantum habuit loculos. Sententiam illam pluribus rejicit Maiſtræus in *illuſt. ſacri Patrim.lib.1.cap.4.* & addit Eccleſiam vel etiam ante Conſtantinum habuiſſe prædia.

I. Quidem Fideles vendebant ſua prædia, & eorum pretium offerebant Apoſtolis. Statim placuit ea ipſa Eccleſiæ tradi, ut non tranſitorie, ſed perpe-

tuo

tuo ex eorum fructibus subvenire posset pauperibus, ait Petrus Damianus *lib.* 1. *Ep.* 13. & *lib.* 4. *Epist.* 14. Novæ illius disciplinæ multa exempla occurrunt in *Apostolorum Can.* 38. Apud Eusebium *lib.* 10. *Hist. Eccl. cap.* 5. & *lib. de vita Constantini cap.* 39. *in Epistola secunda Pii I. In Epistola VII. Urbani II.* Nec obstat *lex* 1. *C. de Sacros. Eccl.* ubi Constantinus dicitur primo fidelibus dedisse licentiam, ut quid voluerint ex suis bonis, relinquere possent Ecclesiæ. Nam vel etiam sub Ethnicis Imperatoribus, semper licuit prædia Ecclesiæ donare inter vivos, perinde ac quibuslibet Collegiis, *L.* 19. *ff. de don. & tot. tit. dig. de Pollicit.* Sed cum sub iis Christianorum cœtus essent incerta & illicita corpora, hæreditates & legata iis relinqui non poterant, Ulpianus *Tit.* 22. Const. Magnus *in d. l.* 1. eam Juris subtilitatem abrogavit, & voluit ut quilibet fidelis in suo testamento quidquid voluerit, Ecclesiæ relinquere possit. Cumque morientes vulgo sint liberaliores, quam viventes, Ecclesiam huic Constitutioni omnia fere bona sua debere, notat Sozomenus *lib.* 7. *Hist. Eccl. cap.* 27. & ex eo Sirmundus ad *Epistol.* 39. *Aviti Viennensis Episcopi.*

Sic Ecclesia duobus plane modis res immobiles acquirere cœpit, donatione inter vivos, & testamento. Quamvis autem Constantinus in *d. l.* 1. jusserit, ut in eo fidelium testamento liber sit stylus, & licitum arbitrium; non ideo tamen dicendum est in eo necessaria non esse solemnia illa, quæ Jure desiderantur in testamentis. Cum enim Imperator liberam testamenti factionem alicui concedit, nihil aliud ei con-

concedere intelligitur, quam ut habeat legitimam teſtamenti factionem; nec enim credendum eſt Principem, qui Jura tuetur, eo verbo evertere velle totam teſtamentorum ordinationem, quæ tot vigiliis inventa eſt, *l.*35.*in princ. Cod.de inoff.teſt.* ſed unum illud vult Conſtantinus, ut fideles libere bona ſua in teſtamento relinquere poſſint Eccleſiæ, nec amplius ei poſſit objici, quod ſit corpus incertum aut illicitum, *l.*24.*&* 28.*C.de Ep.& Cl.* Sicque dicendũ in teſtamentis etiã ad pias cauſas, omnia Juris ſolemnia deſiderari.

Poſt *d.l.*1. adeo profuſæ fuerunt fidelium liberalitates in Eccleſiam, ut ſtatim ab Impp. Chriſtianis cohibitæ fuerint. I. Quidem Valentinianus prohibuit, ne quilibet Clerici vel Monachi a viduis, aliisve mulieribus, vel donatione vel teſtamento aliquid accipiant, *l.*20. 22. *&* 27. *Cod. de Epiſc.* qua de re S. Ambroſius, S. Hieronymus, & Ammianus. Cumque illud per eos acquireretur Eccleſiæ, dici recte poteſt ita cohibitas fuiſſe liberalitates in Eccleſia. De iis jam conqueritur etiam Chilpericus Rex Galliæ apud Gregorium Turon. *lib.*6. *H.ſt. cap.*46. Et in ea ſtatim adhibitum eſt illud temperamentum, ut res immobiles, puta ædes, aut agri, Eccleſiæ donari aut relinqui non poſſint, abſque præcepto regio, quod illud permittat. Florus Vicecomes Andegavenſis ſub Sancto Mauro agens hoc petiit & obtinuit, ut bona ſua Monaſterio Glannafolienſi hodie Sancti Mauri ad Ligerim donare poſſet, ut eſt in *vita Sancti Mauri*, *cap.*53. Innumera ſunt alia hujuſmodi earum immunitatum exempla, in quarum formu-

lis

lis & veteribus Chartis Fundatores aut Prælati curant diligenter leges illas a Principibus adhiberi, ut Ecclesiæ & Monasteria undequaque accipere & acquirere possent dona fidelium, nec eo nomine præcepta regia obtinere tenerentur, aut aliquid solvere fisco. Ac fere semper Christianissimi Reges utrumque illud iis emendicantibus prius concedebant, easque donationes & acquisitiones Regia authoritate firmabant. Sed unum illud indicat, necessarium fuisse illud præceptum, ut tolleretur acquirendi prohibitio. Eaque olim in Gallia eo processerat, ut si absque Regia illa permissione prædium aliquod donatum esset Ecclesiæ, illud intra annum alicui privato revendere teneretur, ex generali Consuetudine Galliæ: cujus meminit Innocentius III. *lib.* 1. *Decretal. Epistolarum*, *Epistola* 172. Cumque prædio in Ecclesiam translato, feudi Dominus amitteret quædam Jura, quasdam præstationes, aut functiones huic prædio annexas, a quibus immunis est Ecclesia, invaluit eam aliquid ei præstare, ut ille fiat indemnis. Quidam hodie volunt illud etiam appellari jus amortisationis, quo permittitur ut prædium illud cadat in manum mortuam, qualis est Ecclesia, quod & ea, & ejus bona videantur mortua, cum sint extra commercium. De eo Jure agetur adhuc.

TITULUS II.

De Sacramentis.

INter res ſpirituales priori loco recenſentur Sacramenta, quæ ſpiritualia dicuntur a S.Gaudentio Brixienſi Epiſcopo, & quorum virtus ſpiritualis eſt, ait S.Auguſtinus in *tractatu 5.in Joan.* Varia eſt ejus vocis acceptio; ſed in hoc titulo eſt ſignum rei ſacræ. S.Auguſtinus in *Ep.5.* ait, cum ſigna pertinent ad res Divinas, ea dici Sacramenta.

Sacramentum eſt ſignum viſibile inviſibilis gratiæ ad juſtificationem hominis divinitus inſtitutum. Dicitur ſignum viſibile, ideſt externum & ſenſibile. S.Chryſoſtomus in *Homil.83.in Matth.* ſic loquitur: Si quidem incorporeus eſſes, ille tibi dona incorporea nude tradidiſſet; ſed quia corpori conjuncta eſt anima tua, ideo rebus ſenſibilibus tibi traduntur intelligenda. Additur inviſibilis gratiæ, ſicut inviſibilis Deus paſſim dicitur apud Apoſtolum: ita etiam virtus aut gratia Dei, quam Sacramenta continent & conferunt ad juſtificationem hominis, huic potiſſimum fini ea inſtituta ſunt, ut per ea fideles gratiam ſanctificantem & juſtificantem accipiant. Divinitus inſtitutum; S.Ambroſius *lib.4. de Sacramentis*: Ergo, inquit, Sacramentorum quis Author eſt, niſi Chriſtus Dominus?

S. Auguſtinus in *lib. de vera Religione cap.17.* ait, Chriſtum pauca inſtituiſſe Sacramenta. Sæpius qui-

quidem veteres Sancti Patres, & veteres sacri Canones, aut duo tantum, aut tria tantum agnoscere videntur: nec ullus ex iis eorum numerum præcise determinavit, cum nec de omnibus agerent, sed tantum de quibusdam in specie; nec unquam propositum illud habuerint, ut numerum illum statuerent. Florentini & Tridentini Patres statuerunt, nec plura nec pauciora esse, quam septem, quæ Catholici omnes hodie agnoscunt.

Cum olim Veteres egerunt de Sacramentis, nec materiæ nec formæ uspiam meminerunt. Scholastici a quingentis annis utramque distinxerunt, & voluerunt quodlibet ex iis propriam habere materiam, propriamve formam. Tridentini Patres *sess.21.Can.2.* dicunt semper in Ecclesia eam potestatem fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione statueret, quid æquius & melius, salva illorum substantia. Cæremonias quidem mutare potest, extrinsecamve formam, sed quantum ad materiam, videndum est an ille ipse Christus Dominus eam præcise determinaverit, an ab eo generaliter tantum præscripta fuerit. Primo casu Ecclesiam eam mutare non potest, ut in Baptismo, in Eucharistia, in Extrema unctione. Secundo, eam mutare potest, summa ratione suadente, ut in Matrimonio, in Ordine, in Pœnitentia, quasi cum Christus Dominus eam materiam præcise non statuerit, Ecclesiæ potestatem illam reliquisse intelligatur, ut eam dictante Spiritu Sancto declarare posit, aut ei aliquid addere, ut de aqua dici potest in adoranda Eucharistia. Hinc sæpius definit, ibi non esse alterum

ex

ex iis Sacramentis, ubi videt materiam ſuis legibus non convenire, nec eas habere conditiones quas præſcripſit. Hoc ab Eccleſia in Baptiſmo etiam fieri poſſe putat S.Baſilius in *Ep.2. ad Amphiloc. Can.27.* qui exſcribitur apud Balſam.*pag.*1029. Non quidem ut aliquid mutet ex ejus materia aut verbis, quippe quæ a Chriſto Domino præſcribantur; ſed ut ea definire poſſit an valide collatus ſit, puta an heretici verum Baptiſmum conferant, ita ut iterari non poſſit, qua de re ſuo loco.

Ex Sacramentis quædam iterari poſſunt, quædam non poſſunt, *tot.tit.Decretal.de Sacram.iter.vel non.* Ea non poſſunt iterari, quæ caracterem animæ imprimunt, ideſt, qualitatem ſpiritualem, & indelebilem;cujus meminit S.Auguſtinus *lib.6.de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.1.* & Innocentius III. in *cap.3. Ext. de Baptiſ.* Talia ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo: quæ vero non imprimunt, ea iterari poſſunt, puta Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-unctio, & Matrimonium.

Denique ſingula Sacramenta ſuum habent proprium Miniſtrum, nec requiritur ut explicitam habeat intentionem conficiendi & conferendi Sacramenti: ſufficit eam habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, ut definierunt Florent. & Trident.Patres. Sed cum illud ſit utique periculoſum; ſcelerati enim Miniſtri occurrerunt olim, & hodie occurrere poſſunt, qui nec eam voluntatem, nec fidem habeant; & ideo quidam ſufficere volunt, ut Miniſter ea faciat quæ facit Eccleſia ut conferatur

Sa-

Sacramentum: nam, ut ait S. Auguſtinus in *Ep.* 23. quam exſcribit Gratianus in *Can. Non illud, de conſecrat. diſt.* 4. cum per eam celebrantur Divina miniſteria, hoc tota Mater Eccleſia facit, quæ in Sanctis eſt. Spiritus Sanctus agit etiam aliquando per ſervitutem, non ſolum ſimpliciter ignorantium, ſed etiam damnabiliter indignorum. Hæretici Baptizant, & Ordinant; Eccleſia illud admittit, ſi faciant quod facit Eccleſia.

TITULUS III.

De Baptiſmo.

BAptiſmus a verbo Græco *βαπτίζειν* lavare, tingere. Eſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Eſt Sacramentum, ac proinde a Chriſto Domino inſtitutum, videlicet ante paſſionem: nam Baptizaſſe dicitur non quidem per ſe, ſed per ſuos Apoſtolos, *Joan. cap.* 3. & 4. & poſt mortem, Baptismi formulam concepit, *Math. cap.* 28. *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Eſt Sacramentum regenerationis, cum enim quilibet homo naſcatur in originali peccato, niſi ex aqua & Spiritu Sancto renatus fuerit, introire non poteſt in Regnum Dei, *Joan. cap.* 3. Per aquam, hinc illud dicitur lavacrum aquæ, ad *Epheſios cap.* 5. eaque vulgaris & naturalis ſit, neceſſe eſt; ac proinde cum Chriſtus Dominus eam ipſam materiam determinaverit, eam mutare non poteſt Eccleſia. In

verbo, quod ſupra relatum eſt.

Triplex conſtitui ſolet Baptiſmus, flaminis per ſingularem Sancti Spiritus effuſionem, ut de Apoſtolis Chriſtus Dominus: *Vos autem baptizabimini in Spiritu*: vel ſanguinis, per mortem pro fide, tunc enim aliquis in ſanguine ſuo abluitur & perfunditur, S. Baſilius de Spiritu Sancto *cap.*15. *circa fin.* Vel fluminis ſeu aquæ, quod proprie eſt Sacramentum: aliæ duæ ſpecies ſunt tantum Baptiſmi analogicè, quod veri Baptiſmi vicem ſuppleant per remiſſionem peccatorum.

Quicunque Chriſtianam legem profiteri, aut ad eam inſtitui volunt, omnino baptizandi ſunt, & maſculi & fœminæ, & adulti & infantes, vel etiam a matre rubentes; quamvis enim nec credere, nec doceri poſſint (quod utrumque deſiderat Chriſtus Dominus) ſemper tamen Eccleſia Catholica eos baptizari voluit, ut pluribus docet Gratianus *de conſecrat.diſt.*4.vel quaſi ea ipſa pro iis credat,*Can.*139. *ibid.* vel quaſi cum accedunt ad Baptiſmum, fidem habeant, propter illud fidei Sacramentum, *Can.*144. *ibid.* quod ipſimet hæretici cum Origene traditioni Apoſtolicæ adſcribunt,in *Hom.ad Epiſtolam ad Rom.* & cum Auguſtino in *ſerm.*14. *de verbis Domini.* Cum certiſſimi teſtes non inveniuntur, infantes abſque ullo ſcrupulo baptizandi ſunt, *Can.*12. *Africani Conc.* Invaluit etiam baptizandos infantes a quibusdam fidelibus offerri Eccleſiæ, qui Tertulliano diſcuntûr ſponſores in *lib. de Bap. cap.*18. aliis Suſceptores, aliis Patrini, aut Compatres, & hoc fluxiſ-

ſe

ſe volunt ex *Lucæ cap.*18. ubi infantes afferuntur & adducuntur ad Chriſtum Dominum. Et forte verius eſt in veteri Eccleſiaſtica Hiſtoria nullos occurrere patrinos, qui baptizatis adultis dati fuerint. Nec enim Ammonius ſolitarius quaſi patrinus, ſed quaſi Catechiſtes datus eſt Rufino Præfecto, cum baptizatus eſt. Apud Palladium in *Lauſiacis*, omnes & infantes & adulti ad baptiſmum nudi accedebant, ut ita viderentur exuere veterem hominem: nudabantur etiam mulieres, ſed earum pudori conſulebant Diaconiſſæ.

In totum etiam baptizandi mergebantur in aquam Chriſti Domino exemplo, qui a Joanne baptizatus aſcendit de aqua, Joan.*cap.*3. Philippi & Eunuchi, *Act. cap.*8. Imo & ter immergebantur ad ſingula Nomina, in ſingulas Perſonas, ait Tertullianus in *lib.adverſus Praxeam cap.*26. puta Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Trinam hanc immerſionem traditioni Apoſtolicæ adſcribit S.Baſilius in *lib.de Sancto Spiritu*. Nec tamen erat de ſubſtantia Baptiſmi, ſed tantum cæremonia quædam, quæ ſubinde mutata eſt, & in unam translata, *Can. de trina, de conſecrat. diſt.*4. In quibuſdam Eccleſiis Baptiſmus fieri cœpit per aſperſionem aquæ, quod ab Apoſtolis factum volunt, cum tria millia hominum ſimul baptizarunt, *Act. cap.*2. Ac tandem obtinuit Baptiſmum fieri per effuſionem aquæ ſuper corpus baptizandi: quod etiam novit Tertullianus in *lib. de corona militis cap.*3. juxta illud *Ezechielis cap.*36. *Effundam ſuper vos aquam mundam.*

Sub Chriſto Domino & Apoſtolis omne tempus Baptiſmo erat habile, ait Tertullianus, ſeu idoneum & commodum. Semper quidem illud obſervatum eſt in infantibus, ut quandocunque baptizarentur. Et condemnata eſt eorum opinio, qui volebant eos tantum Baptizandos eſſe poſt octavum diem a Nativitate, ut olim in eorum circumciſione obtinebat, S.Cyprianus in *Ep. ad Fidum Presbyterum*. Sed in adultis, ſtatutum eſt ut baptizarentur tantum tempore Paſchatis, in memoriam Dominicæ Paſſionis, & Reſurrectionis, cujus virtute reſurgimus in Baptismo, S.Baſilius in *Exhort. ad Baptiſm. circa princ.* & tempore Pentecoſtes in memoriam Sancti Spiritus, qui ea die effuſus eſt in Apoſtolos, & quo etiam baptizamur. Semper in caſu neceſſitatis baptizare licuit, quocunque tandem tempore, Leo Magnus in *Ep.16. ultimæ edit. cap.5.* Et hodie invaluit, omnibus quocunque etiam tempore conferri poſſe baptismum, nulla urgente neceſſitate.

Cum Chriſtus Dominus Baptiſmum inſtituit, ſolos Apoſtolos alloquutus eſt: ideoque olim ſoli Epiſcopi eorum ſucceſſores erant ejus miniſtri. Sed excreſcente Fidelium multitudine, placuit Presbyterum & Diaconum cum Epiſcopi juſſione baptizare poſſe, vel etiam abſque neceſſitate, ut ajunt Tertullianus *de Baptiſmo cap.17.* & S.Hieronymus in *Dialogo contra Luciferianos*: ac tandem cum paſſim inſtitutæ ſunt Parochiæ, invaluit Parochialem Presbyterum ſuo etiam jure baptizare poſſe, non expectata juſſione Epiſcopi. Unde paſſim in ſacris Canonibus

bus cum de Baptismo agitur, Episcopus & Presbyter junguntur tanquam ordinarii ejus Ministri: Diaconus autem aderat tantum quasi Minister Baptizantis, *Apostolicarum constitutionum lib.*3.*cap.*11. S.Hieronymus *ibidem* ait, necessitate cogente permitti etiam laicis baptizare,vel etiam absque mandato Episcopi, puta si baptizandi mors immineat.

Illiberitani Patres in *Can.*38. in laico baptizante duo requirunt, ut integrum habeat suum Baptismum, id est, ut eo suscepto, non peccaverit mortaliter; & ut non sit Bigamus. Utrumque illud desiderant, ut Sacerdotis partibus fungatur, qui nec Bigamus nec Pœnitens ordinari potest. Nec illud ita intelligendum, quasi ab eo laico Baptismus conferri non possit, qui solus etiam in necessitate occurrat Bigamus & Pœnitens: sed ut ex multis Laicis ibi præsentibus, ille solus Baptizare possit, qui adhuc integrum lavacrum habeat,& non sit Bigamus.Cumque Canon ille ait, Baptizatum illum perducendum esse ad Episcopum, ut perficiatur, ut confirmationem ab eo accipiat: nec probata est eorum opinio, qui a laicis Baptizatos & ad Ecclesiam venientes jubebant vero Ecclesiæ Baptismo expurgari. Ac tandem invaluit a quibuslibet laicis in necessitate conferri posse Baptismum. Quod forte Græci non ita statim agnoverunt, ac fere semper probarunt Latini.

Eoque casu Baptizare possunt etiam mulieres; *Can. mulier.*19. *de consecrat. dist.*4. Quamvis olim Tertullianus, & alii quidam illud negaverint. At-

que etiam in *Can.* 100. *IV. Carthagin. Concilii* generaliter prohibetur, ne mulieres Baptizare auſint. Sed Gratianus in eo ipſo *Can.* addidit eam exceptionem, niſi neceſſitate cogente, quod probarunt Florentini Patres.

Baptiſmus in forma Eccleſiæ collatus iterari non poteſt. Duplex ea ratio eſt: Altera ex Apoſtolo *ſexto ad Hebræos*. Ubi, qui ſemel illuminati ſeu baptizati ſunt, rurſum ſibimetipſis crucifigunt Filium Dei, cum rurſus baptizantur: quia Baptismus eſt figura Paſſionis Chriſti, quæ ſemel tantum contigit. Altera ex *l. Domus* 58. *Cod. Th. de hæret.* quia Baptiſmus in modum ſemel nati hominis, ſemel a Deo conceditur.

Sed anxie diſputatum eſt, an rebaptizandi ſint, necne, qui ab hæreticis Baptizati, ad Eccleſiam Catholicam accedunt. Sanctus Baſilius *prima ad Amphil. Can.* 1. *in princ.* ait varias fuiſſe diſſenſiones ſuper Baptiſmo Novatianorum: addit ſequendam eſſe conſuetudinem uniuſcujuſque regionis, ut ibi quoque Balſamon. Ac tandem in *Can.* 47. ait apud Romanos prohibitam eſſe rebaptizationem hæreticorum alicujus œconomiæ gratia. Et ſub fine ejus quæſtionis definitionem remittit ad aliquam Synodum. Ex quibus conſtat huic Sanctiſſimo Patri eam eſſe tantum quæſtionem diſciplinæ, in qua libera ſit fides. Cum tamen centum annis ante eum a Stephano Romano Pontifice condemnata eſſet ea rebaptizatio, & quidem ſecundum ipſiſſima atque omnino energica verba Chriſti Domini: *Si quis Baptizatus fuerit*:

qui

qui ſemel lotus eſt, non habet iterum lavandi neceſſitatem : *niſi quis renatus fuerit*. Unum Baptiſma ponit, nec diſtinguit a quo conferatur, an a viro bono, an ab homine malæ rei. Adde Optatum, & traditionem Apoſtolicam.

Valde tamen obſtat *Apoſtolorum Can.*46. apud Dionyſium Exiguum, & in multis Canonum Collectionibus Catholicis, Græcis & Latinis, in quo recipiendum non eſt Baptiſma hæreticorum; ſicque Baptizandi ſunt, cum ad Eccleſiam veniunt. Reſpondendum eſt, Canonem illum ab hæreticis editum quidem fuiſſe in Concilio Iconienſi, ut ea ejus opinio confirmaretur; ſed ab Eccleſia ſanum & juſtum ei additum fuiſſe ſenſum illum in ſuis Collectionibus Canonum, ut rejiciendum ſit illud Baptiſma, quod ſecundum formam Eccleſiæ, ſeu in nomine Trinitatis datum non eſt, & rebaptizandi non ſint, qui ab hæreticis baptizati ſunt, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. In Eccleſiam Orientalem admittuntur *per unctionem ſancti Chriſmatis*: In Occidentalem *per impoſitionem manuum*, ait Gregorius Magnus *lib.*9. *reg.Epiſt.*61.

Denique præcipuus Baptiſmi effectus eſt, ut tollat originale peccatum. Sane non omnino extinguit concupiſcentiam, quæ radix eſt peccati : ſemper enim ea in nobis remanet; ſed ei non imputatur, qui non in vacuum Baptiſmi gratiam accepit, *Can.*2. *de conſecrat. diſt.*4. Hoc quidem in infantibus, ſed in adultis Baptiſmi effectus etiam ille eſt, ut omnino tollat actuale peccatum, & quoad pœnam &

quoad culpam, ſi quod admiſerint: ſed deſideratur ut habeant converſionem mentis ad Deum, & impoſitam pœnitentiam peragant, unde tot Pœnitentiæ gradus in Catechumenis.

TITULUS IV.

De Confirmatione.

COnfirmatio eſt Sacramentum, quo baptizatus ſpiritualis gratiæ augmentum & robur accipit. S.Cyprianus eam vocat Sacramentum manus impoſitionis. S. Auguſtinus *l.2. contra literas Petiliani cap.*104. Sacramentum Chriſmatis, S. Ambroſius in *lib.de initiandis*, tria illa jungit, & vocat Sacramenta, Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam. Sed & huic maxime convenit definitio Sacramenti: nam habet ſignum viſibile puta manus impoſitionem & unctionem, confert inviſibilem gratiam, confert enim plenitudinem Spiritus Sancti, ſicque dici non poteſt eam eſſe tantum aliquam Baptiſmi cæremoniam. S. Hieronymus *contra Luciferianos* docet, a Chriſto Domino inſtitutum fuiſſe illud Sacramentum, cum aſcendit ad cœlos, & Spiritum Sanctum effudit in ſuos Apoſtolos.

Non habemus quidem ex ſacris paginis, Chriſtum Dominum aut Apoſtolos confirmaſſe per Chrismationem, ſed tantum per manus impoſitionem: ſed Innocentius III.in *cap.un.ext.de Sacramento Unctionis* ait, per frontis unctionem deſignari manus

Im-

Impositionem, quæ alio nomine dicitur Confirmatio. Et ideo Veteres etiam Patres Unctionis, Olei, Chrismationis, in Confirmatione passim meminerunt, ut ita Baptizati consignarentur: unde Sacramentum illud ab iis aliquando dicitur, *Consignatio*, *sigillum Dei*, *signaculum Dominicum*. Ipse quidem Sacerdos, quem baptizat, eum in vertice capitis ungit: sed cum ei datur Confirmationis Sacramentum, in fronte ungitur cum signaculo Crucis. Unde S. Augustinus ad *Psalm.* 141. ait, se in fronte portare Crucem Christi.

Olim Confirmatio statim conferebatur post Baptismum, Tertullianus *de Baptismo cap.* 7. & Sanctus Hieronymus *ibidem*. Unde in *Can.* 38. *Illiberitani Concilii* Baptizatus statim perducendus est ad Episcopum, ut perficiatur, idest confirmetur: nam Confirmatio & Græcis & Latinis est veluti perfectio Baptismi; ideoque sæpius etiam ab iis dicitur perfectio. Utique per Baptismum datur Spiritus Sanctus; sed per Confirmationem datur ejus plenitudo, ut magis ac magis roburetur baptizatus, & in fide & contra omnes hostes, *Can.* 1. & 5. *de Consecr. dist.* 5.

Anxie quæritur, quis sit Minister Confirmationis. Constat quidem sacrum Chrisma fieri tantum ab ipsis Episcopis, *Can.* 20. *primæ Synodi Toletanæ*, & apud Gelasium primum in *Ep.* 9. Nunquam vero a Presbyteris, *Can.* 36. *tertiæ Synodi Carthagin.* Sed verius est etiam semper in Ecclesia Latina solos Episcopos confirmare potuisse, non etiam Presbyteros.

In-

Innocentius I. in *Ep. ad Decentium* ait, non ſolum Eccleſiaſticam conſuetudinem illud demonſtrare; ſed etiam Lectionem Actuum Apoſtolorum, ubi cum plures Baptizati nondum accepiſſent Spiritum Sanctum, ideſt ejus plenitudinem, ad eos non alii miſſi ſunt quam Petrus & Joannes, ut iis manum imponerent, ſeu quod idem eſt, eos confirmarent. Unde cum Epiſcopi Apoſtolorum veri ſint ſucceſſores, Eccleſia Romana ſemper obſervavit ab iis ſolis conferri poſſe Confirmationis Sacramentum.

Forte etiam Eccleſia Græca fuit ab initio ejuſdem ſententiæ, ut nominatim docet Sanctus Dionyſius in *lib. de Hierarchia Eccleſ. cap.* 5. §. 3. & 5. Et ad eum locum Georgius Pachymeres ait etiam, fuiſſe generalem ejus Eccleſiæ conſuetudinem, ſicut & Zonaras ad *Can.* 14. *Næocæſar. Concilii*: ſed tandem ab ea receſſit, ut etiam Presbyteri confirmare poſſint. Nec ejus rationes omnino improbavit, aut rejecit Florentinum Concilium.

Sane dici poteſt, in Latina etiam Eccleſia Presbyteros duobus caſibus confirmaſſe, deficiente, ſeu abſente Epiſcopo, vel ex ejus mandato. Nam 1. Synodus Arauſicana *Can.* 1. & 2. ſtatuit, ut in mortis diſcrimine poſiti, chriſmate & benedictione conſignentur ab ipſis etiam Miniſtris Baptiſmi, puta Presbyteris. Et prima Synodus Toletana, in *Can.* 20. ſtatuit, Presbyterum chriſmare poſſe, abſente Epiſcopo; ſeu eo præſente, ſi ab eo præceptum ei fuerit. Hoc refert etiam Martinus Bracar. in *ſua Collatione Canonum cap.* 51. & 52. & probat Gregorius Magnus

lib. 3.

lib.3. reg.Ep.26. Hodie volunt, Presbyterum confirmare non poſſe,niſi ex mandato & diſpenſatione S.P. ſicque Trident. Patres omnino rectiſſime dicunt,non alium eſſe Ordinarium Sanctæ Confirmationis Miniſtrum , quam Epiſcopum : nam Presbyter , extraordinarius eſſe poteſt .

TITULUS V.

De Euchariſtia.

EA eſt verum Chriſti Corpus & verus Chriſti Sanguis. SS. Patres eam abſolute & per eminentiam Sacramentum vocant . Ejus vera materia panis eſt triticeus , & vinum aqua delibutum , vel ut habet S.Cyprianus, vinum aqua mixtum, in *Epiſt.*63. Panis fit verum Chriſti Corpus , vinum illud fit verus Chriſti Sanguis . De vino nunquam fuit controverſia inter Catholicos,illud enim omnes intelligunt quod eſt ex genimine vitis , ait ille ipſe Chriſtus. Et condemnati ſunt Armeni , cum ſolum vinum offerre vellent,*Can.*32. *ſextæ Synodi*; ſicut & illi, qui ſolam aquam,unde dicuntur Aquarii apud S.Auguſtinum. Nec Eccleſia utramque hanc materiam mutare poteſt , cum Chriſtus eam ipſe conſtituerit .

Sed inter ipſos etiam Catholicos diſputatum eſt de pane azymo & fermentato . Eccleſia Græca eo tantum utitur hodie ; & Latina ſolo azymo . Si recurramus ad fontem , Chriſtus Dominus in azymo corpus ſuum dediſſe videtur: nam certiſſime conſtat,

Ju-

Judæos tempore Paſchatis domi habere non potuiſſe, ne quidem micam panis fermentati. Sed ille ipſe alias ſuum etiam corpus in fortuito pane, puta fermentato, Diſcipulis & Apoſtolis ſuis dedit, qui omnino communis aut vulgaris erat. Et hinc cum in hac diœceſi Andegavenſi quidam Presbyter fermentato pane uſus eſſet in Sacrificio Altaris, Hildeberdus Cœnom. Epiſc. in *Epiſt.* 44. reſpondit puniendum eſſe illum Presbyterum propter populi ſcandalum, & addidit in eo delicto potius impugnatam fuiſſe conſuetudinem Eccleſiæ, quam fidem. Ex ea Epiſtola primo ſequitur non omnino eſſe de fide, ſi quis in azymo vel in fermentato ſacrificet. Secundo, circa 11. ſeculum eam fuiſſe conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, ut azymis tantum uteretur. Et forte verius eſt illud ſemper in ea obſervatum, & ab omni ævo, cum ei conſtet Auguſtiſſimum illud Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum fuiſſe in azymis. Nec eſt iſtius loci fuſius inquirere in varias mutationes & earum cauſas.

Adorandi illius Sacramenti forma conſtat ex ipſiſſimis verbis Chriſti, quæ cum Sacerdos pronunciat, ille ipſe Chriſtus Dominus conſecrat, ait S. Chryſoſtomus in *variis Homiliis*, & in *lib. de Cœna Myſtica*. Et ſtatim fit verum Chriſti Corpus, & verus Chriſti Sanguis. Ille ipſe Deus noſter illud vere dixit (qui etiam dixit ſuam carnem vere eſſe cibum, ſeque veritatem eſſe) non parabolice, non ænigmatice, non figurative; ei tanquam vero Deo noſtro fides omnino habenda eſt; aut ſimus Ethnici neceſſe eſt,

eſt, non etiam Chriſtiani.

Euchariſtia dicitur paſſim Sacrificium novæ legis, & ipſe actus Sacrificii nobis dicitur Miſſa: quod vocabulum occurrit etiam apud S. Ambroſium in *Epiſtolis*, & apud Julianum Anteceſſorem ad *Nov.7. Juſtiniani*. Aliquando Miſſa pro die feſto accipitur, aliquando pro Collecta & aliqua ex horis Canonicis ſæpius, hodie pro incruento Sacrificio. Et plures poſt Avitum Viennenſem in *Ep.1.* volunt, ſic illud appellatum fuiſſe a Miſſa, ideſt miſſione populi; unde, *Ite Miſſa eſt*, ideſt vobis datur miſſio ſeu facultas abeundi; quæ ſic etiam in aliis horis Canonicis dari dicitur apud Caſſianum *lib.3. de Inſtitutis renuntiantium cap.7.*

Forte adhuc dici poteſt, Sacrificium illud ita Miſſam appellari, quod in eo ad Deum hoſtia mittatur per Angelum: *Ite Miſſa eſt*: id eſt ite pro vobis ad Deum, Miſſa eſt ſalutaris hoſtia.

Denique Sacerdos celebrare non poteſt, niſi ſub utraque ſpecie panis & vini. Sed Fideles ſub alterutra tantum communicare poſſunt. Ille ipſe Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos in ſolo pane communicavit. Veteres metu Martyrii conſecratam hoſtiam domum exportabant, non etiam Calicem: & viciſſim S.Cyprianus in *lib.de Lapſis* ait, infantibus Calicem dari ſolitum, quod panem admittere non poſſent. Hodie in Latina Eccleſia in ſolo pane communicant laici, & tamen Corpŏri & Sanguini Chriſti communicare dicuntur in *Conſtantienſi Concilio*.

TI-

TITULUS VI.

De Pœnitentia.

IN antiquis Canonibus & apud antiquos Patres ſæpius ea ponitur pro pœna & ſatisfactione, aut pro dolore peccati: vix pro Sacramento Pœnitentiæ, prout hodie ſolet accipi. Eſt Sacramentum, quo Fidelibus poſt Baptiſmum lapſis & vere Pœnitentibus peccata remittuntur. Eſt Sacramentum; eoque ſenſu antiqui Canones & Patres illud cum Baptiſmo ſæpiſſime jungunt & comparant, eo quod utrumque peccata ſolvat. Petrus Damianus in *Sermone de Eccleſiæ Dedicatione*, & Petrus Bleſenſis in *Sermone* 10, illud vocant Sacramentum Confeſſionis; atque etiam inſtitutionem Sacramenti habet a Chriſto Domino, cum dixit Apoſtolis: *Quodcumque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum in Cœlis: Quodcumque remiſeritis ſuper terram, remiſſum erit in Cœlis*. Habet etiam effectum Sacramenti, cum gratiam conferat, *Can.* 1. *de Pœnit. diſt.* 5. & *Can.* 1. *ibid. diſt.* 6. unde Baſilius in *Homilia* 28. Pœnitentiam ſimpliciter vocat gratiam.

Cypriani temporibus prodierunt Novatus in Africa, & Novatianus Romæ: fuerunt ejuſdem Hæreſis, & ab utroque Novatiani Hæretici. Exiſtimabant, iis qui poſt Baptiſmum peccaverant, ab Eccleſia dari non poſſe veniam & remiſſionem peccatorum. Iis quidem indicebant Pœnitentiam ſeu pœnam aut ſa-

satisfactionem ; sed negabant veniam , ait S. Ambrosius 1.*de Pœnit.cap.*2. Ea potissimum ratione utebantur, quod Apostolus ad Hebræos dicat impossibile esse, ut qui illuminati sunt, puta per Baptismum, rursus renoventur ad Pœnitentiam: sed rectissime Eulogius *lib.*2. *contra Novatianos*, respondet ibi Apostolum de iis Judæis agere , qui cum baptizati essent , suam adhuc legem retinere volebant, & ita cum suo Baptismo renuntiarent, renovari non poterant. Olim quidem Ecclesia quibusdam criminibus ne quidem in fine dabat veniam ; sed hoc ad confirmandam disciplinam, & ut novi Christiani ab iis cohiberentur, non etiam propter defectum potestatis . Nam Pœnitentia potestatem habet peccatores sanandi septuagies septies, ait Justinus Martyr in *Quæstionibus ad Orthodoxos quæst.*97. idest usque in infinitum, *Can.*32. *de Pœnit. dist.*3.

Quatuor sunt Sacramenti Pœnitentialis partes, Confessio , Satisfactio , Dolor peccati, & Absolutio. Confessio est Declaratio peccatorum Sacerdoti facta, ut ab eo remittantur . Eam agnoscit Tertullianus , *lib. de Pœnit.cap.* 10. ubi Fideles hortatur, ut non ita fugiant sui publicationem, idest peccatorum suorum declarationem , ut dimittant pudorem & erubescentiam ; quia , inquit, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, Deum celabimus . Idest, si alterum ex peccatis nostris homini Sacerdoti non exponamus , Deum celabimus , ut illud non remittat , & in *lib. de Baptismo cap.ult.* oportet Baptismum ingredi cum Confessione omnium delictorum , & nobis gratulandum

dum eſt,ſi non publice confiteamur noſtras iniquitates ; ergo privatim : eam etiam agnoſcit S.Cyprianus in *lib.de Lapſis* . Ubi de iis agit,qui ſolum Idolis ſacrificandi propoſitum habuerunt ; & hoc apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimplicirer confitentur.

Satisfactio præcipua pars eſt Sacramenti Pœnitentialis . Eaque nihil aliud eſt, quam pœna , quæ pro peccatis ab Eccleſia imponitur. Olim ea quinque gradus Pœnitentium fecerat , ut alii eſſent flentes , qui extra Eccleſiæ portam ingredientes Fideles cum lachrymis rogabant , ut pro iis orarent . Alii eſſent audientes , qui cum Catechumenis in porticu Eccleſiæ audiebant verbum Dei , non etiam ſacris aderant . Alii proſtrati , qui intra Eccleſiæ portam ſumma cum humiliatione veniam patebant . Alii conſiſtentes , qui cum aliis Fidelibus in Eccleſia conſiſtebant , ſed abſque communione . Alii communicantes , qui tandem admitterentur ad communionem . Pœnitentes aliquando omnes illos gradus peragere tenebantur ; aliquando quidam iis remittebantur: & illi omnes gradus inſtituti ſunt poſt Montanum & Novatum . Cum enim Eccleſiæ Catholicæ objicerent , quod facinoroſos homines reconciliaret, reſpondebat ſe illud ſumma ratione facere , cum illi peccata ſua per longas pœnitentias expiaverant: ſicque dicendum non eſt, cum Petrus flevit amare , & Apoſtolus inceſtuoſum Corinthium reconciliavit , utrumque omnes illos peregiſſe gradus pœnitentiæ , quia nondum inſtituti erant.

Conſtat vero,non prius olim reconciliatos fuiſſe

se Pœnitentes, quam post peractum pœnalis satisfactionis tempus indictum *Can. 2. Laodic. Concilii*, quam cum salubri satisfactione purgati essent, ait Leo Magnus in *Epist. 91*. Constat etiam, in antiquis Canonibus statutas esse certas quasdam pœnas pro singulis peccatis, definitum esse modum & tempus quo peragerentur; ita tamen ut eas infirmis Pœnitentibus aliquando relaxarent, & sensim pia Mater Ecclesia earum severitatem lenivit.

Primo enim, stante adhuc severa eorum disciplina, constat remissam illam fuisse iis, qui occulta peccata sua ultro confitebantur; nec expectabant convictionem, quasi Confessionem illam ex sola charitate facerent, *Can. 9. Neocæsar. Concilii*, Julianus Pomerus *lib. 2. de Vita Contemplat. cap. 7.* S. Ambrosius *de lapsu Virginis cap. 8.* Et ex eo principio fluxerunt & defendi possunt hodiernæ mitiores Pœnitentiæ.

Sic etiam cum Ecclesia videret Pœnitentes vel Canonicam rejicere Pœnitentiam, vel eam observare non posse, iis permisit redemtionem pœnitentiarum, puta ut pro Canonica Pœnitentia trium aut quinque annorum, aliquam pecuniæ summam pauperibus erogarent, tot plagas acciperent in corpore (& hinc hodiernæ disciplinæ) tot Psalmos decantarent, solemnes quasdam peregrinationes aggrederentur. Quidam volunt eam redemtionem invaluisse circa septimum seculum, de qua fusius Regino Abbas *lib. 2. de Eccles. Discip. cap. 440.* Morinus in *libris de admin. Pœnit.* & novissime Jacobus *Petit ad Pœ-*

nitentiale Theodori Cantuar. to.2. Ac tandem arbitrariæ cœperunt esse Pœnitentiæ, ut ex bona fide & prudentia Confessorum pendeant; ita tamen ut semper consulerent Sacros Canones, ait Guillelmus Paris. in *libris de Pœnit.* circa decimum-tertium seculum, quo Guillelmus ille scripsit.

Post satisfactionem, sequitur dolor peccati, de quo ad Casuistas: ac tandem absolutio, quæ passim dicitur pax, reconciliatio, manus impositio reconciliatoria, per quam remittuntur peccata, & Pœnitentes recipiuntur in Communionem. Leo Magnus in *Epist.82.cap.2.* eum describit Pœnitentiæ Sacramentalis ordinem; ut prius sit Confessio, postea Satisfactio,tum demum Reconciliatio seu Absolutio,ac tandem Communio. Quidam volunt absolutionem esse tantum deprecatoriam, ut nempe Sacerdos in ea oret Deum huic Pœnitenti peccata remittere (juxta petitionem hanc Pœnitentis (& te Pater orare pro me ad Dominum) Sed eo jure utimur, eam esse indicativam, ut nempe ille ipse Sacerdos peccata remittat ex iis verbis Christi Domini; *quorum remiseritis peccata*. Quamvis Morinus plures Theologos & Canonistas laudet primi nominis, qui asserunt eam per octo vel novem secula fuisse deprecatoriam.

Pœnitentiæ summa illa divisio esse cœpit,ut alia sit privata, alia vero publica. Cum enim peccata quædam atrocitatem facinoris habeant, quædam etiam graviora sint, quædam leviora S.Augustino minuta, hodie venialia; & pœnitentia nihil aliud sit,quam pœna pro peccatis;sacri Canones voluerunt

ejus

ejus varias esse species. Primo, tria peccata posuerunt omnino extra veniam, ita ut Ecclesia eam ne quidem in fine iis daret, puta idololatriam, adulterium, & homicidium, quorum reos soli misericordiæ Divinæ committeret. Hoc ex Concilio Hierosolymitano fluxit, in quo Apostoli jusserunt, ut ab iis Neophyti abstinerent. Eaque dicuntur Canonica peccata, quibus antiqui Canones omnem denegabant veniam. Iis addita sunt alia quædam graviora delicta, quibus etiam ne quidem in extremis dabatur venia. Eaque tantum est quæstio Historica, non etiam fidei.

Olim ea fuisse videtur disciplina totius Ecclesiæ. Primo, cum Zepherinus Summ. Pont. adulteris veniam dare cœpit, & de ea re graviter conquestus est Tertullianus *lib. de pudic. in princ.* sequitur omnino aliud antea obtinuisse. Nec dicendum est eum ita scripsisse jampridem Montanensem factum: nam idem plane in *lib. ad Nationes cap.* 5. ubi de Apostatis etiam invitis & Pœnitentibus sic habet. Et tamen ejusmodi neque congregant, neque participant nobiscum, facti per delicta denuo vestri (nationes seu Ethnicos alloquitur) quando ne illis quidem misceamur, idest communicemus, quos vestra vis atque sævitia ad negandum subegit. Liber ille primus & genuinus dicitur Tertulliani adhuc Catholici fœtus, & cunctam seculi obtinet disciplinam, ut de eo Sanctus Hieronymus in *Epist. ad Magnum*. Sed & ejus Discipulus S. Cyprianus in *Epist. ad Antonianum*, elegantissime testatur, plures Africanos Episcopos idem

cenſuiſſe cum Tertulliano, nec tamen eos a Coepiſcoporum ſuorum Colleg o receſſiſſe, nec Eccleſiæ Catholicæ unitatem rupiſſe, vel duritia, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione.

Hoc iis dictum velim, qui etiam hodie perilluſtres hujus ſeculi viros conceptiſſimis verbis hæreticos appellare non erubeſcunt, quod inquiunt hæreticam hanc diſciplinam probent, quam tamen ex iis Patribus vident in Africa obſervatam: in Hiſpania ex Concilio Illiberit. paſſim; cujus veſtigia quædam extant in *Can.22.Ancyranæ Synodi, in Can.ult. primi Arelat.Concilii, in Can.2. Sardicenſis, in Epiſt. Innocentii I. ad Exuperium cap.2.* Ubi ab eo quæſitum eſt, quid de iis obſervari debeat, qui poſt Baptiſmum omni tempore, incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo vitæ ſuæ fine, pœnitentiam ſimul & reconciliationem Communionis expoſcunt. Ita reſpondet, de iis obſervatio prior, durior; poſterior, interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis Pœnitentia, ſed Communio negaretur: id eſt, ut ab Eccleſia haberentur, & eodem jure cenſerentur, ac pœnitentes, quibus non concedebat abſolutionem; quippe quæ iis temporibus non daretur niſi poſt peractam pœnitentiam, ut jam diximus. Habebantur, inquam, quaſi pœnitentes, ut Epiſcopi & Sacerdotes pro iis orarent, ſicut & univerſus populus; ac ſi deceſſiſſent ante acceptam abſolutionem, memoria eorum oblationibus & orationibus commendaretur *Can.Sacerdos 26.q.7.* Sed iis negaretur Communio

ideſt

ideſt reconciliatio Communionis, ut petebant, quod nihil aliud eſt quam abſolutio. Prior & durior ea obſervatio referenda eſt ad ea tempora, quæ præceſſerunt Nicænum Concilium.

Ac tandem Theodoſius & Valentinianus Impp. in *l.3. in fine Cod. de Apoſt.* ad veterem hunc Eccleſiæ uſum reſpicere videntur iis verbis: Perditis vero (nempe Apoſtatis) nullo remedio pœnitentiæ, quæ ſolet aliis criminibus prodeſſe, ſuccurritur. Nec dicendum eſt, Novatianum illud eſſe dogma. Primo enim, Novatiani nullis poſt Baptiſmum dabant veniam; & Eccleſia Catholica quibuſdam duntaxat eam denegabat. Secundo, aſſerebant in Eccleſia defectum eſſe poteſtatis; ſed Eccleſia veniam negabat tantum rigore diſciplinæ, ait S. Auguſtinus in *Epiſt.* 50. quem ſtatim temperare cœpit in Concilio Nicæno, & aliis ſequentibus. Vide omnino Epiſtolas Innocentii I. ad *Exuperium.*

Poſtmodum placuit graviora delicta non remitti, niſi poſt luctuoſam & publicam pœnitentiam, ait S. Pacianus in *Paræneſi ad pœnitentiam*. Quæ nempe palam & ſub oculis omnium Fidelium fieret, ante abſidem, ut eſt in *Can.* 32. *tertii Carthag. Concilii*, id eſt ante atrium Eccleſiæ, ut addit Gratianus in *Can. ult.* 26. *q.* 6. Sed huic pœnitentiæ ſubjiciebantur tantum ea delicta, quæ vulgatiſſima erant, & univerſam urbem commoverant, *d. Can. ult.* quæque a legibus pœna capitis coercerentur, *Can.* 46. *quarti Toletani Concilii*, & apud Cæſarium Arelat. in *Homilia* 42. ſi quidem legitime probata eſſent. Ac forte

verius eſt, ita demum iis impoſitam fuiſſe publicam hanc pœnitentiam, ſi publica eſſent. Qui publice peccat, publica pœnitentia mulctandus eſt, ait 2. *Cabilon. Concilium in Can.* 25. Nunquam vero privatis & occultis, ac præcipue ſi capitis pœnam irrogarent. S Baſilius in *Ep. ad Amphilochium Can.* 34. ſic loquitur: Adulteras mulieres publicari prohibuerunt Patres noſtri, ne convictis cauſam mortis præbeamus. Et ſubjicit eas ſtare debere in Eccleſia abſque Communione. Alii Canones explicant, eas eſſe debere inter pœnitentes in gradu conſiſtentium, in quo pii quidam Fideles, aliquando ſponte ac humiliter conſiſtebant. Proſper Aquitanicus *lib. 2. de Vita contemplativa cap.* 7. cavendum eſſe monet publicari ea crimina, quæ publicata, ſuos authores humano faciunt damnari judicio: hoc fuſius ex antiquis Patribus & Canonibus probat Jacobus *Petit ad Pœnitentiale Theodori to. 2. pag. 2.*

Quamvis autem graviſſima delicta publicæ pœnitentiæ ſubjicerentur; attamen vix unquam impoſita eſt publica eorum Confeſſio. Tertullianus in *lib. de Baptiſmo capit. ult.* Nobis gratulandum eſſe ait, ſi non publice confiteamur noſtras iniquitates. Et Leo Magnus eos improbat, qui eam indicebant, *Can. quamvis* 88. *de Pœnit. diſt.* 1. niſi forte omnino publica eſſent; tunc enim nihil timendum pro ipſis reis, *Capitularium lib.* 5. *cap.* 52.

Quidam tamen volunt, eam Confeſſionem in Eccleſia remanſiſſe uſque ad Nectarium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſub Theodoſio, ex quadam

Hi-

Hiſtoria, quam ſcribit Socrates *lib.* 5. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 19. & ex eo Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 16. ubi cum docuerunt ea occaſione inſtitutum fuiſſe Pœnitentiarium, quod cum Novatiani Confeſſionem & Pœnitentiam abjicerent, Eccleſia Catholica inſtituit Presbyterum, qui præeſſet Pœnitentiæ, ut ita deprehendi poſſet, quinam apud eum peccata confiterentur; quinam vero eum non adirent: ſtatim ſubjiciunt ſingularem hunc caſum, ex quo ſublatus eſt ille Presbyter. Nobilis quædam mulier huic Presbytero confeſſa eſt ſe a quodam Diacono conſtupratam fuiſſe: Presbyter ei orationes & jejunia indixit: Patefactum eſt illud delictum, & hoc in populo grave ſcandalum peperit: ab Eccleſia ejectus eſt ille Diaconus, ex conſilio cujuſdam ſenioris; Nectarius Pœnitentiarium illum depoſuit, omnibus liberam dedit poteſtatem, ut pro ſua quiſque conſcientia accederc poſſet ad Divina Myſteria, quod in aliis etiam Eccleſiis obtinuiſſe ait Socrates.

Quia vero in ea ſpecie publicatum eſt illud ejus mulieris peccatum, quidam addunt illud evenire non potuiſſe, niſi per publicam ejus Confeſſionem, quam Presbyterum illum indixiſſe volunt huic mulieri: certiſſime indicat eam fuiſſe contra Eccleſiæ conſuetudinem, ac proinde tunc temporis eam confeſſionem obtinuiſſe, quin imo illud; quia iniquum fuiſſet Presbyterum hunc Pœnitentiarium deponi, ſiquidem in uſu fuiſſet ea Confeſſio; ſed ideo depoſitus eſt, quod contra Eccleſiæ leges, publicam hanc Confeſſionem indixerat huic mulieri.

Sic etiam cum Nectarius liberam cuique potestatem dedit &c. addunt ab eo sublatam fuisse omnem Confessionem. Sed hoc falsum evincunt Sancti Patres & Sacri Canones, qui postea ejus meminerunt, & pleraſque scripserunt ejus regulas. Forte unum illud permisit Nectarius, ut quilibet non amplius teneretur huic Pœnitentiario confiteri, sed alium eligere Confessorem. Ac tandem cum scribit Socrates idem obtinuisse in aliis omnibus Ecclesiis, quidam addunt in iis abrogatum fuisse Pœnitentiarium. Sed male. I. Enim depositus ille fuit ex singulari ejus delicto, quod nihil ad alios. II. Constat id genus Presbyterorum in aliis Ecclesiis omnino remansisse, ac potissimum in Occidentalibus. Et hoc scripsisse videtur ex secta & hæresi sua, erat enim Novatianus, ut ita insinuaret Ecclesiam non amplius agnoscere Confessionem.

Denique Episcopus & Presbyter veri sunt Pœnitentiæ Ministri; quod iis solis data sit ligandi & solvendi potestas: non etiam Diaconi. Quod enim S.Cyprianus in *Epist.* 13. innuere videtur eos audire posse Confessionem, & Pœnitentes reconciliare; hoc de Sacramentali non intelligendum; sed tantum de Cœremoniali in Pœnitentiis publicis. Non etiam laici, nequidem in necessitate, ut pluribus probat Lanfrancus Cantuar.in *lib.de celanda Confes.*In publica autem Pœnitentia, Presbyter audita Confessione videbat, an ei subjiciendus esset pœnitens, quo casu eum rejiciebat ad Episcopum,qui solus præscribere poterat tempus& modum peragendæ illius Pœnitentiæ.

TI-

TITULUS VII.

De Ordine.

ORdo eſt Sacramentum, quo ſpiritualis poteſtas confertur ad obeunda Eccleſiaſtica miniſteria: alii addunt ad Chriſti Corpus. Eſt Sacramentum: ſic nominatim dicitur a S.Auguſtino *lib.2. contra Epiſtolam Parmeniani cap.13. & in lib.de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.1.*Confert gratiam,1.ad *Timot. cap.4.*A Chriſto Domino inſtitutus eſt, cum Apoſtolos Sacerdotes ordinavit in ultima Cœna. Spiritualis poteſtas, propter ea verba Chriſti Domini, quæ in collatione Ordinis pronuntiari ſolent, Accipite Spiritum Sanctum, ad obeunda Eccleſiaſtica miniſteria,quæ varia ſunt, & omnia referuntur ad Sacerdotium: alii addunt ad Corpus Chriſti,& Vinum,quod Ordinati conficiant, & Myſticum, ut Eccleſiam regant & gubernent.

Sacramentum illud ſic dicitur, Ordo,a Clerica: li ſtatu, in quo per illud inſtituuntur Ordinati,quique olim ſimpliciter dicebatur Ordo. Sicut enim cujuslibet Civitatis nobilius Collegium, nobiliorum Status,Ordo dicebatur, puta Romæ, Senatus, & in Municipiis, Curia ſeu Collegium Decurionum:ut in *tit.dig.de Decret.ab Ord.fac.* Ita & cum ſtatus Clericalis nobilior ſit inter Chriſtianos, ſimpliciter dictus eſt Ordo.Tertullianus *de exhort.ad caſtit.cap.7.*Cum, inquit, Eccleſiæ authoritas, differentiam fecit inter

or-

ordinem & plebem, alibi addit Ordinem Eccleſiaſticum, *de Idolol. cap.*7. Euſebius etiam antiquior Gallicanus Epiſcopus in *Homilia de S. Ephipodio & Alexandro* Clericalem ſtatum ſimpliciter vocat Ordinem.

Ordines Tonſura præcedit. Cum Apoſtolus 1. *ad Corinth. cap.*11. generaliter prohibuit, ne vir comam nutriat, illud olim obſervabant omnes Chriſtiani: ſed ſacri Canones illud reſtrinxerunt ad ſolos Clericos, & quidem exemplo Sacerdotum veteris teſtamenti, Ezechielis *cap.*44. Rationem hanc afferunt Hieronymus & Auguſtinus, quod plexam comam habere luxurioſorum ſit, aut militum, aut Barbarorum.

Olim varia erat Tonſuræ forma; aliis erat in modum Crucis, alii totum caput attonſum habebant, alii medium, alii modicum, aliis erat in modum ſphæræ aut Coronæ; eaque varietas non nocebat Eccleſiæ apud eos, qui erant rectæ fidei, ait Beda *lib.*5. *Hiſt. Angliæ cap.*22. Præ ceteris curare debent Clerici, ut congruentem Tonſuram habeant, *cap.*15. *ext. de vita & honeſt. Cler.* Ideſt Eccleſiæ ſuæ conſuetudini conſentaneam.

Verius eſt, olim Tonſuram eo ipſo momento collatam fuiſſe, quo primus ex Ordinibus conferebatur; & ſic eam fuiſſe tantum cæremoniam, aut cæremonialem ejus Ordinis partem. Unde in *Can.*1. *ſecundi Tolet. Concil.* ſtatuitur, ut qui velint eſſe Clerici ſimul tondeantur & fiant Lectores. Sed invaluit, Tonſuram conferri ante quemlibet Ordinem; & hoc cœpiſſe volunt

ſunt circa annum ſentingenteſimum. Quo vel etiam pueri a parentibus offerebantur Eccleſiæ, ut ei miniſtrarent,& ut ſignum aliquod haberent Clericatus, tondebantur antequam ullum Ordinem accepiſſent: quod tandem ad omnes productum eſt.

Quæritur,an Tonſura ſit Sacramentum,& caracterem imprimat. Innocentius III. in *cap.*11. *ext. de æt. & qual. Ordin.* Reſcribit per Tonſuram conferri Clericalem Ordinem. Sic etiam vetus Author Hiſtoriæ Albigenſium *cap.*50.Tonſuram vocat caracterem Clericalem, qui videtur indelebilis: licet enim Tonſuratus uxorem ducat, & poſt ejus mortem iterum incipiat capax eſſe Ordinationis, non opus habet nova Tonſura. Et tamen verius eſt eam eſſe tantum diſpoſitionem & præparationem ad Ordines:quæ inſtituta eſt tantum,ut ſignum ſit & indicium Clericalis Ordinis,ut apud Petrum Cellenſem *lib.*7.*Epiſt.* 18. & in *d.cap.*50. Cumque per eam conferri dicitur Clericalis Ordo,id eſt Clericalis ſtatus, quo tonſurati a laicis diſcernuntur. Nam ſunt Clerici, ait Balſamon ad *Can.*51.*Epiſt.ad Amphil.* Sed proprie nullum habent Ordinem. Quod etiam agnoſcunt Trident. Patres *ſeſſ.*14.*de Reform.cap.*2. & *ſeſſ.*23. *de Reform. cap.*4.

Poſt Tonſuram conferuntur Minores Ordines (quinam illi ſint diximus *lib.*1.*tit.*15.) & verius eſt eos non eſſe Sacramenta, nec habere rationem Sacramenti. Nam nec a Chriſto Domino, nec ab Apoſtolis inſtituti ſunt; ſed ab Eccleſia ad utilitatem miniſterii, creſcente Fidelium multitudine, ait Amala-

rius

rius *lib.2.de Off.Eccleſ.cap.6.* Et procedente tempore, ait Gratianus ad *diſt.21.* ſunt tantum ad celebritatem & decorem Sacrificii, non etiam ad illud peragendum. Unde non conferuntur per manus impoſitionem, ſed per ſimplicem benedictionem. Quodammodo tamen videntur Divini Juris, cum olim etiam implicite conferrentur cum Presbyteratu & Diaconatu. Presbyteris enim & Diaconis eorum miniſterio committebantur; cum tot Miniſtris opus non haberet Eccleſia propter paucitatem Fidelium.

Proprie igitur ſecundum antiquos Canones, ſoli Presbyteratus & Diaconatus erant inter ſacros Ordines, ait nominatim Urbanus I. in *Can. ult. diſt.60.* quem exſcribit Innocentius III. in *cap.9. ext. de æt. & qual.* Sed quæritur, an uterque diſtinctum Sacramentum faciat? Breviter dicendum eſt cum S.Thoma, ejus Sacramenti quod dicitur Ordo, totam plenitudinem eſſe in uno Sacerdotio; alios Ordines habere tantum participationem Ordinis, eſſe tantum Ordines analogice, ſeu per relationem ad Sacerdotium, omnes Ordines unum eſſe, unum facere Sacramentum, quatenus omnes referuntur ad Euchariſtiam, ad Sacerdotium.

Jam olim diximus Sacramentum Ordinis imprimere characterem ſeu indelebile ſignum, quod animæ imprimitur virtute Sacramenti. Et hinc ſequitur Sacerdoti nunquam adimi poſſe ſacrificandi poteſtatem, ſed ſolam ejus executionem. Hinc etiam ſequitur, iterari non poſſe Ordines, ſeu aliquem iterum Ordinari non poſſe in eodem Ordine, ait S.Gregorius

lib.2.

lib. 2. reg. Ep. 32. Illud quidem addi & suppleri potest, quod in Ordine omissum fuerit; nam hoc non est iterare Ordinem, *cap. 1. ext. de Sacram. non iter.* Sed & anxie disputatum est olim, utrum ab hæreticis Ordinati, iterum Ordinandi sint, cum ad Ecclesiam accedunt; & verius est iterum eos esse Ordinandos, qui contra formam Ecclesiæ ab iis Ordinati sunt; quia quod est contra leges, ipso jure nullum est; non etiam eos qui secundum Ecclesiæ formam; sed eos opus habere sola reconciliatione, ut Ordinis sui executionem accipiant. Quæstio illa sæpius ac sæpius agitata est in Ecclesia, propter Ordinationes Formosi, Photii, Ebbonis, & aliorum: de quibus consule Morinum in *libro de sacris Ordinationibus*.

TITULUS VIII.

De Extrema-Unctione.

EST Sacramentum, quod per Oleum ab Episcopo confectum in nomine Domini, & Orationem Sacerdotis infirmo & de vita periclitanti Fideli confertur, ad mentis & corporis salutem. Dicitur Sacramentum in *Epist. 1. Innocentii I. ad Decentium cap. 8.* Magnum Sacramentum a Gaufrido Vindocin Et quidem ab ipsomet Christo Domino institutum: cum enim Apostolis suis potestatem curationum dedit, & illi, eo adhuc præsente, infirmos unxerunt & sanaverunt, *Marci cap. 5.* illud omnino fecisse intelliguntur ex ejus mandato, quia nullum ejus Unctionis ve-

veſtigium habebant in veteri teſtamento) quod apertius conſignavit S Jacobus iis verbis : *Si quis infirmatur in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum ; & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Ex iis probantur ſingula quæque capita definitionis allatæ.

Ejus Sacramenti materiam præſcribit Apoſtolus, puta Oleum in nomine Domini benedictum ; & quidem a ſolo Epiſcopo, ut docet Regino *lib. 1. de diſciplin. Eccleſ. cap. 118.* quod ideo dicitur Oleum infirmorum, in *cap. un. ext. de Sacram. Uncti.* Et formam, puta orationem Sacerdotis, quæ qualis ſit, pendet ex vario Eccleſiarum uſu, ut fuſius probat Menardus ad *Sacramentarium Gregorii Magni.* Et Miniſtrum, puta Sacerdotem, ex ipſis verbis S. Jacobi, atque etiam Epiſcopum, ut interpretatur Innocentius I. Græci plures adhibebant Presbyteros ex iis verbis Apoſtoli, *Inducat Presbyteros* : ſed Latini unum ſufficere ſemper exiſtimarunt, etiamſi non urgeat neceſſitas. Quidam etiam volunt Diaconum ungere poſſe infirmos ſaltem neceſſitate cogente, & deficiente Presbytero. Sed cum Jacobus præciſe jubeat induci Presbyterum, vix illud concedendum Diaconis.

De interpretatione verborum S. Jacobi conſultus Innocentius I. laudato loco reſpondit, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licere in ſua aut in ſuorum neceſſitate ungendum. Ex iis Beda velle videtur, omnibus Chriſtianis licere uti

co-

eodem oleo. Quaſi et am laici ſeipſos & alios ungere poſſint, quod fere omnes Interpretes rejiciunt. Omiſſis eorum expoſitionibus, conjicerem eam eſſe mentem Innocentii, vel ut omnes omnino Chriſtiani ægrotantes Unctionem illam petere poſſint a Presbyteris (quos inducere aut accerſere præcipiuntur) non tantum in ſua, ſed etiam in ſuorum neceſſitate; ſeu non tantum pro ſeipſis, ſed etiam pro ſuis: quod ultimum Jacobo addidit Innocentius. Et ejus exemplum extat in vita S. Hugonis Cluniac. apud Surium. Quodque tandem ſtatuerunt multæ poſteriores Synodi, Vel potius, cum Jacobus præcepit ungendum eſſe infirmum, ſubjicit Innocentius, quod de Fidelibus ægrotantibus accipi debet, qui perungi poſſunt, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis; uti, ideſt pariter: nam ea particula eſt ſimilitudinis, ait Voſſius. Et ibi delenda eſt vox illa, *licet*: poſtea legendum, *ad ungendum*: qui ſancto Oleo perungi poſſunt, quod ab Epiſcopo confectum eſt ad ungendum, nempe infirmum. Sicque invita Minerva, non paſſive accipiendus eſt locus ille, ut quidam volunt. Eam interpretationem & lectionem ſuggeſſit mihi Alcuinus *de Divinis Officiis cap.* 47.

Ita & cum Jacobus dixit ungendum eſſe infirmum; in quibus Corporis partibus ungendus ſit, varius fuit Eccleſiarum uſus. In aliis ungebatur ſolum caput, in aliis ſolum pectus, in aliis pars, in qua morbus magis urgeret. Invaluit cum eſſe ungendum in quibus locis quinque ſenſus corporei ſuas habent ſedes. Videndus ibidem Hugo Menardus.

Olim

Olim poſt Confeſſionem & peractam pœnitentiam, Extrema-Unctio dabatur. Nam Innocentius ibidem ait, eam non dari Pœnitentibus, ut optime legunt Rom. correctores in *Can. illud, diſt.* 95. poſt Dionyſium Exiguum & Ivonem; & non niſi poſt eam unctionem dabatur ſacrum Viaticum. Burchardus, Ivo, Gratianus, in *ſuis decretis* eam diſciplinam probant ex pœnitentiali Theodori Cantuar. & Regino Abbas laudato loco ex quodam Turon. Concilio, & ex Beda. Rationem hanc affert Innocentius I. quia Extrema-Unctio eſt genus Sacramenti, ideſt certa ſpecies; & ſubjicit: Nam quibus (puta pœnitentibus quandiu ſunt in ea pœnitentia) reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi. Hodie ſi non ita urgeat morbus, ea non datur niſi poſt peractam pœnitentiam & acceptum Viaticum. Sed urgente neceſsitate datur, etiamſi plene Confeſſus non fuerit infirmus, necdum Viaticum acceperit.

Ea dicitur Extrema-Unctio, vel quod detur in extremis agenti, ad aliarum Unctionum differentiam: vel quod ab Eccleſia petatur quaſi extremum munus, ait Prudentius Tricaſsinus in *ſermone de S. Mauro* apud Camuſatium, quæ vixit ætate Caroli Magni. Et olim dicebatur tantum Unctio infirmorum: nec ſatis conſtat quo tempore appellari cœperit Extrema-Unctio. In eodem ſermone ſic appellatur (qui ſuſpectus eſt Mabillonio) ſicut & in Græcorum Euchologis, & in quibuſdam vitis Latinorum Patrum circa duodecimum, & decimum-tertium ſeculum, quibus ita ſæpius ac ſæpius dicitur.

Cum

Cum autem Apoſtolus dixerit, ſi quis infirmatur in vobis, quæri poteſt cur non initio morbi, ſed ad extremitatem vitæ ungatur. Hoc forte invaluit, quod cum vulgo perſuaſum eſſet poſt Extremam-Unctionem ad ſe invicem redire non poſſe conjuges, quamvis convaluiſſent, ut docet Richardus Sarisbeenſ. Epiſcopus in *ſuis Conſtitutionibus ad an.* 1217. & Synodus Vuigornienſis eodem fere tempore habita, ad extremitatem vitæ rejecta eſt, quamvis ejus temporis Patres eam opinionem condemnarent. Obſervanda ſunt ea verba veterum Rotomag. Eccleſiæ præceptorum circa annum 1236. Doceant ſæpe Sacerdotes populum, hoc Sacramentum (Extremam-Unctionem) licite poſſe iterari, & ſæpe recipi qualibet magna infirmitate, unde mortis eſt metus: & poſt ſuſceptum licite reverti ad opus conjugale.

Denique Ivo Carnot. in *Epiſt.* 255. & Gaufridus Vindocin. *lib.* 2. *Ep.* 19. contendunt, Extremam-Unctionem iterari non poſſe, quia inquiunt, ea eſt Sacramentum Pœnitentiæ publicæ: quod forte iis nihil aliud eſt, quam complementum & ultima cæremonia pœnitentiæ publicæ. Nec quidquam illud apud eos facit, quominus ea unctio ſit Sacramentum: ſacri autem Canones eam pœnitentiam iterari prohibent. Sed exploſa illa ſententia, omnibus placuit eam unctionem iterari poſſe, non tantum in variis morbis, ſed etiam in eodem, ſi poſt aliquod tempus recruduerit: quia datur ad remiſſionem peccatorum, qua ſemper opus habent Fideles, ait Petrus Venerabilis *lib.* 5. *Epiſt. Ep.* 7. ubi fuſius docet, cur aliæ ſacræ

Unctiones iterari non poſſint, & extrema poſſit.

TITULUS IX.

De Matrimonio.

A Juriſconſultis definitur, viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens. Eamque definitionem deſcribit Gratianus ad *cauſam 27. quæſt. 2. in princ.* Sicut & Pontifex in *cap. 11. Ext. de præſumpt.* Conjunctio, videlicet animorum & voluntatum, non etiam corporum; quia, inquit regula Juris, nuptias conſenſus facit, non concubitus. Ejus rei effectus ille eſt, ut cum ſemel conjuges conſenſerunt, adeo perfectum dicatur Matrimonium, ut non amplius ad alia vota tranſire poſſint: Individuam, id eſt ſtabilem, perpetuam, eo voto contractam, ut nunquam diſſolvatur, ac potiſſimum in jure Canonico.

In hoc autem titulo nec cum Juriſconſultis, de matrimonio agitur quaſi mero contractu; nec quatenus a Deo inſtitutum eſt ante Adami peccatum, in officium naturæ; nec prout in lege Moſis in remedium peccati; ſed quatenus inſtitutum eſt in nova lege Chriſti, & in ea proprie dicitur Sacramentum. Cum enim Apoſtolus ad *Epheſios cap. 5.* agens de Matrimonio ita loquitur: *Magnum eſt Sacramentum; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*; Clemens Alexandrinus *lib. 3. Stromaton* ſic habet: Hoc ergo Sacramentum (puta Matrimonium) ad Chriſtum

&Ec-

& Ecclesiam ducit Apostolus, ut illud referat ad utriusque unionem. S.Chrysostomus *homilia* 56. *in Genesim*: An non audis Apostolum dicentem, quod Matrimonium est Sacramentum & Imago dilectionis Christi ad Ecclesiam. S.Augustinus *de bono Conjugali*, Pontifex in *cap.*1. *ext.de Sponsa duorum*, & in *cap.*9.*extr.de Hæret.* illud præcise vocant Sacramentum; sicque perperam dicitur inter Sacramenta relatum illud fuisse in novissimo Concilio Florentino.

Ejus Sacramenti materia non alia est, quam contractus Matrimonii,seu legitimus utriusque conjugis consensus, *cap.*24.& 25.*ext.de Sponsa.& Mat.* qui nempe secundum Leges & Canones interveniat. Eleganter Petrus Damianus in *Opusculo* 41. *cap.*1. ait aliud esse Nuptiale mysterium, aliud carnale sacrilegium, quod Canonice fit, est Sacramentum; quod fit contra Canones, sacrilegium. Quænam sit illius forma,& quis minister,mox videbimus.Ut ergo in conjunctione viri & mulieris Sacramentum sit,requiritur ut Canonice fiat.

1. Ut præmittantur Sponsalia. Nec enim pervenitur ad Matrimonium, statim atque de eo primus sermo placuit. Rusticum esset puellam statim tradere marito, ne vilem hanc habeat, inquit Augustinus *lib.*8. *Confess. cap.*3.Ea proprie sunt mentio ac repromissio futurarum nuptiarum,idest tractatus & cautio de futuris nuptiis; proprie sunt tantum spes futuri Matrimonii.Cumque posteriores Pontifices commenti sunt, Sponsalia per verba de præsenti,puta,*tibi do fidem meam, volo te habere uxorem*, quæ pro Matri-

monio habebant, ſtatim ea exoleverunt, & tandem Bleſenſi Conſtitutione prohibita ſunt *art.*44. quod captioſa eſſent, & tollerent omnino Eccleſiaſticas ſolemnitates.

Ea ſunt tantum Sacramentalia, inquit S.Thomas, ſeu præparatoria Matrimonialis Sacramenti. Olim quidem Canones & Patres ea diſſolvi non patiebantur, *Illiberit. Concilii Can.*54. *ſextæ Synodi Can.*98.& in *Ep.*1. *Siricii cap.*4. quod diutius Græci retinuerunt.Sed in Eccleſia Latina primo invaluit, Sponſalia mutuo Sponſi & Sponſæ conſenſu diſſolvi, ne quid deterius contingat,*cap.*14.*&* 17. *ext. de Sp. & Mat.* Eoque caſu diſſolvuntur ipſo jure, perinde ac ſocietas mutuo ſociorum conſenſu, *cap.*2.*ibid.*Forte tamen tutius & honeſtius eſt ab iis Judicem Eccleſiaſticum abſolvere, ut ex Synodo Pariſ.& Carnot.refert Bochellus hoc *tit.*in *Decret.Eccl.Gall.*& quidem abſque ulla Pœnitentia; quia ſibi invicem videntur remiſiſſe fidem, ſeque invicem a juramento abſolvere, ait Fulbertus Carnot. in *Ep.*33. Invaluit etiam, alterum ex Sponſis,alio invito,recedere poſſe a Sponſalibus, ſi ſit rationabilis cauſa,*cap.*10. *&* 17. puta ſi quid periculoſum timeatur ex futuro Matrimonio, cogendus non eſt Sponſus, quia coactio difficiles habere ſolet exitus. Sed eo caſu adeundus eſt Judex Eccleſiaſticus, qui ea diſſolvat, & recedenti Sponſo imponat pœnitentiam, *d.cap.*10. & *cap.pen.ibid.*

II. Sicut Juſtinianus ait, Cives Romanos inter ſe contrahere juſtas nuptias, qui ſecundum præcepta legum coeunt. Et tamen ut vera erant peregri-

norum

norum Matrimonia apud eos, non quidem justa, sed ex quibus legitimi nascebantur liberi; ita & in Jure Canonico soli Fideles Canonicas Nuptias contrahunt, qui secundum præcepta Canonum coeunt; quia extra Ecclesiam non sunt Sacramenta; sed tamen illud agnoscit etiam verum esse Matrimonium Ethnicorum, *cap.*7. & 8. *Ext. de Divort.* Quamvis dissolvi possit, quia, inquit S.Thomas, non habet indissolubilitatem ratione Sacramenti. Sane si Fidelis infidelem uxorem habeat,Sacramentum est ex parte, & in persona fidelis,*d.cap.*8. Idem etiam de conjugio servorum. Jure quidem Civili proprie non illud est Matrimonium; dicitur contubernium, & conjuges dicuntur contubernales, *l.*12. §.33. *ff. de fundo Inst.* Sed in Jure Canonico verum illud & legitimum censetur, nec dissolvendum est, dummodo in Ecclesia factum fuerit, ut asserit Gregorius Turon. *lib.*5.*Histor.cap.*3. sane olim invito Domino factum dissolvebatur, *Can.*24. *quarti Aurelian.Concilii*. Sed invaluit illud omnino consistere, dummodo jus servitii & obsequii Domino servetur, *cap.*1. *Ext.de Conjug. serv.* Vide insignem Orationem Joachimi Vadiani Sangall.quam exscripserunt *to.*5.*rerum Aleman.in fin.*

III. Sacri Canones definierunt etiam, qua ætate contrahi possint Nuptiæ. Septennium quidem statutum est tempus Sponsaliorum, ait Alexius Comnenus, & ante illud contracta, ipso jure nulla sunt, quasi desit omnino contrahentium consensus. Sed Canones non ita præcise pubertatem & nubilem ætatem cum Jure Civili ab annis tantum definierunt:

ficque volunt, regulariter contrahi posse nuptias a masculis anno ætatis 14. & a fœminis 12. quia ea ætate possunt esse parentes. Sed excipiunt, nisi malitia suppleat ætatem, atque etiam nisi robur & habitus corporis, præcoces ignes & exuberantem naturam ostendant, tunc eas jure contrahi volunt, vel etiam ante illam ætatem.

IV. Sicut Justinianus ait filiosf. ita demum contrahere iustas nuptias, si parentum habeant consensum; & hoc naturalem & civilem rationem suadere: naturalem, puta honorem & reverentiam patri debitam; civilem, puta patriam potestatem, quam Jurisconsulti adscribunt Juri Civili. Et subjicit, eo deficiente consensu, nec esse Matrimonium, nec esse Nuptias, quod indicat, nec jure naturali esse Matrimonium; nam ea vox est ab eo Jure, nec Jure Civili esse Nuptias, cum ea vox ab eo Jure sit. Unde Paulus ait Nuptias consistere non posse, nisi omnes consentiant, & qui contrahunt, & illi in quorum potestate sunt, *l.* 2. *ff. de ritu Nupt.* Cumque certissima ea sit ejus sententia, utpote relata in *Libris digest.* authoritate Imperiali confirmatis, falso contraria quædam ei adscribitur, dissolvendas non esse illas Nuptias. Nec inconveniens est eam Juris Civilis definitionem referre, cum Evaristus S.P. *Ep.* 1. *ad Episcopos Africæ*, statuat in ea re discedendum non esse a sententiis Præfectorum, seu Imperialium Magistratuum, qui eam quotitidie ad effectum perducebant.

Ita & in Jure Can. verius est in Nuptiis filiorumf.

rumſ.adeo paternum deſiderari conſenſum, ut eo deficiente, nullæ ſint ipſo jure, vel etiam in foro poli, nec ullatenus Sacramenti rationem habeant, ac per ætates & tempora probari facile poteſt ſemper eam fuiſſe mentem Eccleſiæ Gallicanæ,

Primo igitur,Nuptiæ abſque illo conſenſu ſunt contra Jus Divinum, quod Nuptiarum poteſtatem non liberis, ſed patri concedit, *1.ad Corinth. cap.7.* Unde Simeon Metaphraſtes in *Abrahamo*, ait illud omnino pendere a Divino illo præcepto,quod honorari Patrem imperat. Nec obſtat,quod cum Chriſtus Dominus Matrimonium inſtituit, nullatenus meminerit paterni conſenſus: nam præſentia ſua legitimum duntaxat Matrimonium ſanctificavit & adprobavit, ait S.Martialis in *Ep. ad Tholoſ. cap.9.* quod tunc non fiebat, niſi ex paterno arbitrio,

Secundo, ſunt etiam contra ſacros Canones, qui volunt eas eſſe ſcorta, fornicationes, adulteria, ut ex multis Canonibus probat Gratianus 30. *qu.5.* & diutius ante eum, S. Baſilius in *Ep. ad Amphilochium Can.*38.40.& 42.*Synodus Eccleſiæ Gall.apud Tuſiacum ſub Carolo Calvo*, ex multis Conciliorum & Sanctorum Patrum ſententiis ait, ita demum veram eſſe legitimi conjugii copulam, quando mulier viro juncta eſt paterno arbitrio. Et ſubjicit, tunc Nuptias habere in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum. Quæ verba refert Hincmarus paſſim. Cumque Nicolaus II. in *Can.ſufficit 27.q.2.*ait ſufficere ſolum utriuſque conjugis conſenſum, rectiſſime addit (ſecundum leges) quæ adeo paternum deſiderant, Sa-

ne cum contrahentes ſunt ſui Juris, ſolus eorum conſenſus ad Matrimonium ſufficit, *cap.*23. *ext. de Sp. & Mat.* Sed ſemper legitimus ſit neceſſe eſt, *cap.*25. *ibid.* ut nempe cum ſunt adhuc in ſacris parentum, eorum etiam conſenſum habeant. Et hoc apud Græcos obtinuiſſe docet Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus in *Synodalibus ſententiis apud Leunclavium in lib. Juris qu.*2. ubi ait eas nuptias pro nullis aperte haberi, quæ ſine conſenſu parentum contractæ ſunt.

Nec obſtat, quod Tridentinum Concilium eos anathemate feriat, qui affirmant irrita eſſe filiorum matrimonia ſine conſenſu parentum. I. Enim ſtatuit Canonem illum obſervari poſt 30. dies a die publicationis, quæ nunquam facta eſt in Gallia. II. Jubet in qualibet Provincia retinendas eſſe laudabiles conſuetudines circa Matrimonium. Unde cum ſemper ea fuerit ſententia Eccleſiæ Gallicanæ, id genus Matrimonia eſſe irrita; vel etiam ex mente illius Concilii retinenda eſt. Eam ejus Eccleſiæ mentem Gallicani Patres & Legati ſæpius in eo Concilio laudarunt & ſanciri petierunt. Ea ipſa Eccleſia ſuam hanc mentem ſæpius ac ſæpius indicavit in pluribus Synodis, quas poſt Tridentinam habuit, ut videre eſt apud Bochellum in *Decretis Eccleſiæ Gallicanæ hoc noſtro titulo*. Ac tandem Regiæ Conſtitutiones ea Matrimonia declararunt invalida, non valide contracta: ſi quidem ante 30. ætatis annum a maſculis, & 25. a fœminis contracta ſunt, quod omnino eſt a Jure Civili. Nec dicendum eſt, eas Conſtitutiones non per-

pertinere ad Sacramentorum rationem, sed tantum ad civiles effectus. Cum enim contractus Matrimonii sit omnino ex rebus politicis, in quas summum jus habet Princeps: quando eum contractum declarat irritum, contractus ille non est apta & idonea Matrimonii materia ad recipiendum Sacramentum. Nec dicendum etiam, illud esse de fide post Concilium Tridentinum, ac proinde apud omnes peræque gentes observandum. Constat enim post multas varietates, in eo placuisse, ut Canon ille non inter Canones de fide scriberetur, sed inter Decreta de Reformatione, ac proinde pertinet tantum ad disciplinam.

V. Ex iisdem Canonibus publicæ debent esse nuptiæ, *Can. nullus, Can. nullum* 30. *q.* 5. Tertulliano *de pudicitia cap.* 4. apud Ecclesiam professæ, idest palam denuntiatæ in Ecclesia. Varie autem in variis Ecclesiis prospectum est, quando palam in Ecclesia publicarentur nuptiæ; quod ideo ad suam curam pertinere voluit, ne inconsulto illicitas nuptias benedicat. In Gallia statim invaluit, ut Sacerdos cum populo de propinquitate sponsorum inquirat, *Capitularium lib.* 1. *cap.* 127. In audientia populi, ait Jo: Saresb. in *Epist.* 89. ut nempe contrahendæ nuptiæ tribus Dominicis, aut Festivis diebus distinctis, in Ecclesia publicentur: quæ publicationes veteri Galliæ idiomate banna dicuntur. Innocentius III. in *cap.* 27. *de Sponsa. & Matr. in* 2. *Coll.* ait eam bannorum publicationem ab Ecclesia Gall. originem habere, & ab ea translatam esse ad universalem in *cap. ult. ext.*

de

Unctiones iterari non poſſint, & extrema poſſit.

TITULUS IX.

De Matrimonio.

A Juriſconſultis definitur, viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens. Eamque definitionem deſcribit Gratianus ad *cauſam* 27. *quæſt.*2. *in princ.* Sicut & Pontifex in *cap.* 11. *Ext. de præſumpt.* Conjunctio, videlicet animorum & voluntatum, non etiam corporum; quia, inquit regula Juris, nuptias conſenſus facit, non concubitus. Ejus rei effectus ille eſt, ut cum ſemel conjuges conſenſerunt, adeo perfectum dicatur Matrimonium, ut non amplius ad alia vota tranſire poſſint: Individuam, id eſt ſtabilem, perpetuam, eo voto contractam, ut nunquam diſſolvatur, ac potiſſimum in jure Canonico.

In hoc autem titulo nec cum Juriſconſultis, de matrimonio agitur quaſi mero contractu; nec quatenus a Deo inſtitutum eſt ante Adami peccatum, in officium naturæ; nec prout in lege Moſis in remedium peccati; ſed quatenus inſtitutum eſt in nova lege Chriſti, & in ea proprie dicitur Sacramentum. Cum enim Apoſtolus ad *Epheſios cap.*5. agens de Matrimonio ita loquitur: *Magnum eſt Sacramentum; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*; Clemens Alexandrinus *lib.*3. *Stromaton* ſic habet: Hoc ergo Sacramentum (puta Matrimonium) ad Chriſtum

&Ec-

& Ecclesiam ducit Apostolus, ut illud referat ad utriusque unionem. S.Chrysostomus *homilia* 56. *in Genesim*: An non audis Apostolum dicentem, quod Matrimonium est Sacramentum & Imago dilectionis Christi ad Ecclesiam. S.Augustinus *de bono Conjugali*, Pontifex in *cap.*1. *ext.de Sponsa duorum*, & in *cap.*9. *extr.de Hæret.* illud præcise vocant Sacramentum; sicque perperam dicitur inter Sacramenta relatum illud fuisse in novissimo Concilio Florentino.

Ejus Sacramenti materia non alia est, quam contractus Matrimonii,seu legitimus utriusque conjugis consensus, *cap.*24.& 25. *ext.de Sponsa.& Mat.* qui nempe secundum Leges & Canones interveniat. Eleganter Petrus Damianus in *Opusculo* 41. *cap.*1. ait aliud esse Nuptiale mysterium, aliud carnale sacrilegium, quod Canonice fit, est Sacramentum; quod fit contra Canones, sacrilegium. Quænam sit illius forma,& quis minister,mox videbimus.Ut ergo in conjunctione viri & mulieris Sacramentum sit,requiritur ut Canonice fiat.

1. Ut præmittantur Sponsalia. Nec enim pervenitur ad Matrimonium, statim atque de eo primus sermo placuit. Rusticum esset puellam statim tradere marito, ne vilem hanc habeat, inquit Augustinus *lib.*8. *Confess. cap.*3.Ea proprie sunt mentio ac repromissio futurarum nuptiarum,idest tractatus & cautio de futuris nuptiis; proprie sunt tantum spes futuri Matrimonii.Cumque posteriores Pontifices commenti sunt, Sponsalia per verba de præsenti,puta,*tibi do fidem meam, volo te habere uxorem*, quæ pro Matri-

monio habebant, ſtatim ea exoleverunt, & tandem Bleſenſi Conſtitutione prohibita ſunt *art.*44. quod captioſa eſſent, & tollerent omnino Eccleſiaſticas ſolemnitates.

Ea ſunt tantum Sacramentalia, inquit S.Thomas, ſeu præparatoria Matrimonialis Sacramenti. Olim quidem Canones & Patres ea diſſolvi non patiebantur, *Illiberit. Concilii Can.*54. *ſextæ Synodi Can.*98.& in *Ep.*1. *Siricii cap.*4. quod diutius Græci retinuerunt.Sed in Eccleſia Latina primo invaluit, Sponſalia mutuo Sponſi & Sponſæ conſenſu diſſolvi, ne quid deterius contingat,*cap.*14.*&* 17. *ext. de Sp. & Mat.* Eoque caſu diſſolvuntur ipſo jure, perinde ac ſocietas mutuo ſociorum conſenſu, *cap.*2.*ibid.*Forte tamen tutius & honeſtius eſt ab iis Judicem Eccleſiaſticum abſolvere, ut ex Synodo Pariſ.& Carnot.refert Bochellus hoc *tit.*in *Decret.Eccl.Gall.*& quidem abſque ulla Pœnitentia; quia ſibi invicem videntur remiſiſſe fidem, ſeque invicem a juramento abſolvere, ait Fulbertus Carnot. in *Ep.*33. Invaluit etiam, alterum ex Sponſis,alio invito,recedere poſſe a Sponſalibus, ſi ſit rationabilis cauſa,*cap.*10. *&* 17. puta ſi quid periculoſum timeatur ex futuro Matrimonio, cogendus non eſt Sponſus, quia coactio difficiles habere ſolet exitus. Sed eo caſu adeundus eſt Judex Eccleſiaſticus, qui ea diſſolvat, & recedenti Sponſo imponat pœnitentiam, *d.cap.*10. & *cap.pen.ibid.*

II. Sicut Juſtinianus ait, Cives Romanos inter ſe contrahere juſtas nuptias, qui ſecundum præcepta legum coeunt. Et tamen ut vera erant peregri-

norum

norum Matrimonia apud eos, non quidem justa, sed ex quibus legitimi nascebantur liberi; ita & in Jure Canonico soli Fideles Canonicas Nuptias contrahunt, qui secundum præcepta Canonum coeunt; quia extra Ecclesiam non sunt Sacramenta; sed tamen illud agnoscit etiam verum esse Matrimonium Ethnicorum, *cap.7. & 8. Ext. de Divort.* Quamvis dissolvi possit, quia, inquit S.Thomas, non habet indissolubilitatem ratione Sacramenti. Sane si Fidelis infidelem uxorem habeat, Sacramentum est ex parte, & in persona fidelis, *d.cap.8.* Idem etiam de conjugio servorum. Jure quidem Civili proprie non illud est Matrimonium; dicitur contubernium, & conjuges dicuntur contubernales, *l.12. §.33. ff. de fundo Inst.* Sed in Jure Canonico verum illud & legitimum censetur, nec dissolvendum est, dummodo in Ecclesia factum fuerit, ut asserit Gregorius Turon. *lib.5. Histor.cap.3.* sane olim invito Domino factum dissolvebatur, *Can.24. quarti Aurelian.Concilii*. Sed invaluit illud omnino consistere, dummodo jus servitii & obsequii Domino servetur, *cap.1. Ext.de Conjug. serv.* Vide insignem Orationem Joachimi Vadiani Sangall.quam exscripserunt *to.5.rerum Aleman.in fin.*

III. Sacri Canones definierunt etiam, qua ætate contrahi possint Nuptiæ. Septennium quidem statutum est tempus Sponsaliorum, ait Alexius Comnenus, & ante illud contracta, ipso jure nulla sunt, quasi desit omnino contrahentium consensus. Sed Canones non ita præcise pubertatem & nubilem ætatem cum Jure Civili ab annis tantum definierunt:

ſicque volunt, regulariter contrahi poſſe nuptias a maſculis anno ætatis 14. & a fœminis 12. quia ea ætate poſſunt eſſe parentes. Sed excipiunt, niſi malitia ſuppleat ætatem, atque etiam niſi robur & habitus corporis, præcoces ignes & exuberantem naturam oſtendant, tunc eas jure contrahi volunt, vel etiam ante illam ætatem.

IV. Sicut Juſtinianus ait filiosf. ita demum contrahere iuſtas nuptias, ſi parentum habeant conſenſum; & hoc naturalem & civilem rationem ſuadere: naturalem, puta honorem & reverentiam patri debitam; civilem, puta patriam poteſtatem, quam Juriſconſulti adſcribunt Juri Civili. Et ſubjicit, eo deficiente conſenſu, nec eſſe Matrimonium, nec eſſe Nuptias, quod indicat, nec jure naturali eſſe Matrimonium; nam ea vox eſt ab eo Jure, nec Jure Civili eſſe Nuptias, cum ea vox ab eo Jure ſit. Unde Paulus ait Nuptias conſiſtere non poſſe, niſi omnes conſentiant, & qui contrahunt, & illi in quorum poteſtate ſunt, *l.2. ff.de ritu Nupt.* Cumque certiſſima ea ſit ejus ſententia, utpote relata in *Libris digeſt.* authoritate Imperiali confirmatis, falſo contraria quædam ei adſcribitur, diſſolvendas non eſſe illas Nuptias. Nec inconveniens eſt eam Juris Civilis definitionem referre, cum Evariſtus S.P. *Ep.1. ad Epiſcopos Africæ*, ſtatuat in ea re diſcedendum non eſſe a ſententiis Præfectorum, ſeu Imperialium Magiſtratuum, qui eam quotitidie ad effectum perducebant.

Ita & in Jure Can. verius eſt in Nuptiis filiorumf.

rumf.adeo paternum desiderari consensum, ut eo deficiente, nullæ sint ipso jure, vel etiam in foro poli, nec ullatenus Sacramenti rationem habeant, ac per ætates & tempora probari facile potest semper eam fuisse mentem Ecclesiæ Gallicanæ,

Primo igitur, Nuptiæ absque illo consensu sunt contra Jus Divinum, quod Nuptiarum potestatem non liberis, sed patri concedit, *1.ad Corinth. cap.7.* Unde Simeon Metaphrastes in *Abrahamo*, ait illud omnino pendere a Divino illo præcepto, quod honorari Patrem imperat. Nec obstat, quod cum Christus Dominus Matrimonium instituit, nullatenus meminerit paterni consensus: nam præsentia sua legitimum duntaxat Matrimonium sanctificavit & adprobavit, ait S.Martialis in *Ep. ad Tholos. cap.9.* quod tunc non fiebat, nisi ex paterno arbitrio,

Secundo, sunt etiam contra sacros Canones, qui volunt eas esse scorta, fornicationes, adulteria, ut ex multis Canonibus probat Gratianus 30. *qu.5.* & diutius ante eum, S. Basilius in *Ep. ad Amphilochium Can.38.40.& 42.Synodus Ecclesiæ Gall.apud Tussacum sub Carolo Calvo*, ex multis Conciliorum & Sanctorum Patrum sententiis ait, ita demum veram esse legitimi conjugii copulam, quando mulier viro juncta est paterno arbitrio. Et subjicit, tunc Nuptias habere in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum. Quæ verba refert Hincmarus passim. Cumque Nicolaus II. in *Can.sufficit 27.q.2.* ait sufficere solum utriusque conjugis consensum, rectissime addit (secundum leges) quæ adeo paternum desiderant. Sa-

ne cum contrahentes ſunt ſui Juris, ſolus eorum conſenſus ad Matrimonium ſufficit, *cap.*23. *ext. de Sp. & Mat.* Sed ſemper legitimus ſit neceſſe eſt, *cap.*25. *ibid.* ut nempe cum ſunt adhuc in ſacris parentum, eorum etiam conſenſum habeant. Et hoc apud Græcos obtinuiſſe docet Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus in *Synodalibus ſententiis apud Leunclavium in lib.Juris qu.*2. ubi ait eas nuptias pro nullis aperte haberi, quæ ſine conſenſu parentum contractæ ſunt.

Nec obſtat, quod Tridentinum Concilium eos anathemate feriat, qui affirmant irrita eſſe filiorumſ. matrimonia ſine conſenſu parentum. I. Enim ſtatuit Canonem illum obſervari poſt 30. dies a die publicationis, quæ nunquam facta eſt in Gallia. II. Jubet in qualibet Provincia retinendas eſſe laudabiles conſuetudines circa Matrimonium. Unde cum ſemper ea fuerit ſententia Eccleſiæ Gallicanæ, id genus Matrimonia eſſe irrita; vel etiam ex mente illius Concilii retinenda eſt. Eam ejus Eccleſiæ mentem Gallicani Patres & Legati ſæpius in eo Concilio laudarunt & ſanciri petierunt. Ea ipſa Eccleſia ſuam hanc mentem ſæpius ac ſæpius indicavit in pluribus Synodis, quas poſt Tridentinam habuit, ut videre eſt apud Bochellum in *Decretis Eccleſiæ Gallicanæ hoc noſtro titulo*. Ac tandem Regiæ Conſtitutiones ea Matrimonia declararunt invalida, non valide contracta: ſi quidem ante 30. ætatis annum a maſculis, & 25. a fœminis contracta ſunt, quod omnino eſt a Jure Civili. Nec dicendum eſt, eas Conſtitutiones non per-

pertinere ad Sacramentorum rationem, ſed tantum ad civiles effectus. Cum enim contractus Matrimonii ſit omnino ex rebus politicis, in quas ſummum jus habet Princeps: quando eum contractum declarat irritum, contractus ille non eſt apta & idonea Matrimonii materia ad recipiendum Sacramentum. Nec dicendum etiam, illud eſſe de fide poſt Concilium Tridentinum, ac proinde apud omnes peræque gentes obſervandum. Conſtat enim poſt multas varietates, in eo placuiſſe, ut Canon ille non inter Canones de fide ſcriberetur, ſed inter Decreta de Reformatione, ac proinde pertinet tantum ad diſciplinam.

V. Ex iiſdem Canonibus publicæ debent eſſe nuptiæ, *Can. nullus*, *Can. nullum* 30. *q.* 5. Tertulliano *de pudicitia cap.* 4. apud Eccleſiam profeſſæ, ideſt palam denuntiatæ in Eccleſia. Varie autem in variis Eccleſiis proſpectum eſt, quando palam in Eccleſia publicarentur nuptiæ; quod ideo ad ſuam curam pertinere voluit, ne inconſulto illicitas nuptias benedicat. In Gallia ſtatim invaluit, ut Sacerdos cum populo de propinquitate ſponſorum inquirat, *Capitularium lib.* 1. *cap.* 127. In audientia populi, ait Jo: Saresb. in *Epiſt.* 89. ut nempe contrahendæ nuptiæ tribus Dominicis, aut Feſtivis diebus diſtinctis, in Eccleſia publicentur: quæ publicationes veteri Galliæ idiomate banna dicuntur. Innocentius III. in *cap.* 27. *de Sponſ. & Matr. in* 2. *Coll.* ait eam bannorum publicationem ab Eccleſia Gall. originem habere, & ab ea translatam eſſe ad univerſalem in *cap. ult. ext.*

de

ne cum contrahentes ſunt ſui Juris, ſolus eorum conſenſus ad Matrimonium ſufficit, *cap.*23. *ext. de Sp. & Mat.* Sed ſemper legitimus ſit neceſſe eſt, *cap.*25. *ibid.* ut nempe cum ſunt adhuc in ſacris parentum, eorum etiam conſenſum habeant. Et hoc apud Græcos obtinuiſſe docet Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus in *Synodalibus ſententiis apud Leunclavium in lib. Juris qu.*2. ubi ait eas nuptias pro nullis aperte haberi, quæ ſine conſenſu parentum contractæ ſunt.

Nec obſtat, quod Tridentinum Concilium eos anathemate feriat, qui affirmant irrita eſſe filiorumſ. matrimonia ſine conſenſu parentum. I. Enim ſtatuit Canonem illum obſervari poſt 30. dies a die publicationis, quæ nunquam facta eſt in Gallia. II. Jubet in qualibet Provincia retinendas eſſe laudabiles conſuetudines circa Matrimonium. Unde cum ſemper ea fuerit ſententia Eccleſiæ Gallicanæ, id genus Matrimonia eſſe irrita; vel etiam ex mente illius Concilii retinenda eſt. Eam ejus Eccleſiæ mentem Gallicani Patres & Legati ſæpius in eo Concilio laudarunt & ſanciri petierunt. Ea ipſa Eccleſia ſuam hanc mentem ſæpius ac ſæpius indicavit in pluribus Synodis, quas poſt Tridentinam habuit, ut videre eſt apud Bochellum in *Decretis Eccleſiæ Gallicanæ hoc noſtro titulo*. Ac tandem Regiæ Conſtitutiones ea Matrimonia declararunt invalida, non valide contracta: ſi quidem ante 30. ætatis annum a maſculis, & 25. a fœminis contracta ſunt, quod omnino eſt a Jure Civili. Nec dicendum eſt, eas Conſtitutiones non

per-

pertinere ad Sacramentorum rationem, ſed tantum ad civiles effectus. Cum enim contractus Matrimonii ſit omnino ex rebus politicis, in quas ſummum jus habet Princeps: quando eum contractum declarat irritum, contractus ille non eſt apta & idonea Matrimonii materia ad recipiendum Sacramentum. Nec dicendum etiam, illud eſſe de fide poſt Concilium Tridentinum, ac proinde apud omnes peræque gentes obſervandum. Conſtat enim poſt multas varietates, in eo placuiſſe, ut Canon ille non inter Canones de fide ſcriberetur, ſed inter Decreta de Reformatione, ac proinde pertinet tantum ad diſciplinam.

V. Ex iiſdem Canonibus publicæ debent eſſe nuptiæ, *Can. nullus, Can. nullum* 30. *q.* 5. Tertulliano *de pudicitia cap.* 4. apud Eccleſiam profeſſæ, ideſt palam denuntiatæ in Eccleſia. Varie autem in variis Eccleſiis proſpectum eſt, quando palam in Eccleſia publicarentur nuptiæ; quod ideo ad ſuam curam pertinere voluit, ne inconſulto illicitas nuptias benedicat. In Gallia ſtatim invaluit, ut Sacerdos cum populo de propinquitate ſponſorum inquirat, *Capitularium lib.* 1. *cap.* 127. In audientia populi, ait Jo: Saresb. in *Epiſt.* 89. ut nempe contrahendæ nuptiæ tribus Dominicis, aut Feſtivis diebus diſtinctis, in Eccleſia publicentur: quæ publicationes veteri Galliæ idiomate banna dicuntur. Innocentius III. in *cap.* 27. *de Sponſ. & Matr. in* 2. *Coll.* ait eam bannorum publicationem ab Eccleſia Gall. originem habere, & ab ea translatam eſſe ad univerſalem in *cap. ult. ext.*

de

de Cler. Desp. Eam confirmant Tridentini Patres; & Blesenses Constitutiones. Forte quidem non est de substantia & necessitate Sacramenti, quia remitti potest; substantia autem a subjecto abesse non potest, absque illius interitu: sed tantum de necessitate præcepti. Atque ita ut ex regiis Constitutionibus irritum sit illud Matrimonium, quod bannis omissis contractum est, sicque non pariat civiles effectus: sed in Jure Can. distinguendum est ex *cap. 1. de Cl. Desp. in 2. Coll.* ut irritum sit, siquidem iis omissis, admissum fuerit illud delictum, quod matrimonium stare non permittat; non autem sit irritum, si non ea sit culpa, quæ illud dirimat: sed contrahentibus imponenda est gravis Pœnitentia, quod ita contemserint præceptum Ecclesiæ.

VI. Desideratur benedictio nuptialis, cujus meminerunt S. Ignatius & Tertullianus. Cumque Matrimonium sit Sacramentum præsentia Christi Domini sanctificatum, placuit eam in Ecclesia imponi, & quidem Parochialiter, ait Stephanus Tornac. in *Ep.* 200, idest & in Ecclesia Parochiali contrahentium, & a proprio eorum Parocho, ut ex Capitularibus Caroli Magni additur in *Can. 8. Troslejani Concilii*. Addit Tridentinum, vel ab ejus Vicario, vel ab alio Presbytero ex simplici permissione proprii Parochi. Olim etiam adeo necessaria erat ea benedictio, ut ea omissa, irritum esset matrimonium. Evaristus ait, solemniter benedicendos esse sponsos, alioquin esse fornicationem. Cum jussit Apostolus ut Fideles nubant in Domino, S. Ignatius Apostolorum Discipulus

pulus in *Ep.*8. *ad Polycarpum*, illud ita interpretatus est, ut ex Domini præcepto nubant in Benedictione Domini. Tertullianus 2. *ad uxorem in fine*, ait solum illud matrimonium a Deo ratum haberi, quod Ecclesia conciliat & consignat; id est ei gratiam imprimit per sacram hanc benedictionem. Addit & quod Angeli renuntiant, id est Sacerdotes, qui illud benedixerint. Idem *de Monogamia cap.*9. ait Matrimonium esse, cum Deus jungit duos in una carne; quod fit tantum per nuptialem hanc benedictionem, ait Balsamon *ad Nomocan. Photii tit.*13. Ac tandem Leo Magnus in *Ep ad Rusticum* ait ibi non esse matrimonium, ubi non est Nuptiale Mysterium, ea scilicet benedictio, quod & probarunt Tridentini Patres, & Blesenses Constitutiones.

Denique desiderantur testes, quæ vulgaris est nota publicarum nuptiarum, & illi sint rogati, seu nominatim vocati, ut iis adsint: nec fortuiti sufficiunt. S. Hieronymus in *objurgatione ad Susannam*, & S. Ambrosius *ad Virginem lapsam cap.*5. decem testes desiderare videntur. Tridentini Patres desiderant duos aut tres cum Parocho, Blesensis Constitutio quatuor probatæ fidei, præter Parochum; & ut eorum testimonia in scriptis rediganturin Regesto Parochi. Si omnino desint legitimi testes, Alexander III. in *cap.*3. *de Cl. disp. in* 1. *Coll.* vel ut addit Raymundus in *cap.*2. *ibid.* si legitima probatio non appareat, præscribit irritum esse Matrimonium. quod etiam sequuntur Tridentinum Concilium, & Blesensis Constitutio. Clandestinum vero Matrimonium dicitur

non

non modo ſi ea omnia deſint, quæ ita requiruntur, ſed etiam ſi alterum ex iis. Cumque Concilium illud dixit, clandeſtina Matrimonia rata & vera eſſe, quandiu Eccleſia non declaraverit ea eſſe irrita, hoc non ita intelligendum, quaſi in quolibet hujuſmodi Matrimonio Sacramentum ſit. Sic enim malæ rei homines quotidie ludibrio haberent omnes illas ſolemnitates, quas Eccleſia, dictante Spiritu Sancto, inſtituit: ſed cum Alexandro III. diſtinguendum in *cap.* 2. *ext. de cland. deſponſ.* ut quod nullis omnino teſtibus probari poteſt, ipſo jure nullum ſit: quod autem utcumque probari poteſt, recurratur ad eam diſtinctionem, quam ſupra ex eodem attulimus, ex *d. cap. ibid. in* 2. *Collect.*

Edictum de Matrimonio contrahendo prohibitorium eſt, ut quicumque illud contrahere non prohibetur, illud contrahere poſſit, *Cap.* 23. *Extr. de Sponſ. & Matrim.* In eam rem varia impedimenta Matrimonii conſtituta ſunt, ſeu certæ & juſtæ quædam cauſæ, quæ doceant inter certas quaſdam perſonas non conſiſtere Matrimonium. Ea ſunt vel prohibentia tantum, vel prohibentia & dirimentia. Priora vetant quidem contrahi Matrimonium, ſed contractum non dirimunt. Hinc commune illud diverbium, multa impediunt contrahendum Matrimonium, quæ contractum non dirimunt. Alia non tantum prohibent, ſed etiam dirimunt. Conſtat quidem Sacros Canones ea omnia conſtituere poſſe, ut paſſim videre eſt in *Decreto Gratiani*, & *lib.* 4. *Decretalium*. Unde Tridentini Patres eos excom-

excommunicant, qui contra censuerint.

Sed & forte verius est, seculares etiam Principes impedimenta illa constituere posse; tum quod Matrimonium est humanus contractus, & quidem omnium antiquissimus, ait Hierocles *apud Stobæum*, cui superadditur Sacramentum: sed omnes humani contractus civilium legum dispositioni & ordinationi subjacent: ergo & illud. Tum quod tota publicæ societatis ratio ex Matrimonio constat: Ergo Princeps ejus societatis caput, quasdam leges ferre potest, quibus Matrimonia illa prohibeantur, aut declarentur irrita, quæ utilitati publicæ repugnent. Plures hujusmodi leges Christianorum Principum extant in utroque Cod. eamque potestatem agnoscunt Sacri Canones & SS. Patres, ut mox videbimus.

Primum impedimentum Matrimonii est disparitas cultus & Religionis, ad quod non pertinet titulus ille *Cod. Th. de Nupt. Gentil.* ideſt barbarorum, qui sunt extra Orbem Romanum, non etiam Ethnicorum. Constat quidem illud esse prohibens: cum enim dixit Apostolus, *Nubant in Domino*, SS. Patres ita illud accipiunt, ut Fideles solis Fidelibus nubant, non etiam Ethnicis: nam inquiunt, hoc nihil aliud esset, quam membra Christi prostituere infidelibus, & templum Spiritus Sancti facere habitationem Idolorum. Et hinc Illiberitani Patres in *Can.* 15. prohibent, ne Fideles puellæ nubant infidelibus. S. Ambrosius in *lib. de Abrahamo*, idem habet de Hæreticis, & iidem Patres de Judæis & Schismaticis. Sed S. Augustinus *lib. 1. de adult. conjug. cap.* 5. subindicare

vi-

videtur, ſuo adhuc tempore dubitatum fuiſſe, an ea diſparitas impedimentum eſſet dirimens. Et ille ipſe natus eſt ex Matrimonio S. Monicæ cum Ethnico; & Clotildis Chriſtiana Clodovæo adhuc Ethnico nupſit. Nec Matrimonium illud dirimunt Illiberitani Patres, ſed tantum graviorem pœnitentiam iis imponunt, qui illud contraxerint. Sicque diſparitas illa erat tantummodo impedimentum prohibens: ſed a quingentis annis cœpit eſſe dirimens; hodie utimur eo jure, ut Matrimonium Catholicæ cum hæretico non dirimatur.

In eo impedimento eſt & alia viſio, in iis nempe conjugibus, qui ſunt Ethnici, & alter ad Chriſtianam Religionem convertatur, alter remaneat infidelis. Ea de re Apoſtolus 1. *ad Cor. cap.* 7. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam: & ſi qua mulier fidelis, habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum. Tertullianus & S. Hieronymus volunt illud eſſe præceptum, ut eo caſu Fidelis non diſſolvat Matrimonium. S. Auguſtinus ait illud tantum eſſe conſilium; quia, inquit, antequam Apoſtolus ea dicat, præmiſit; *Ego dico non Dominus*; quaſi diceret, Dominus quidem Fideli permittit dimittere infidelem; ſed ego moneo ne dimittat, & quidem propter ſpem lucrationis, ait Tertullianus, ſeu quia ſpes eſt fidelem converſurum eſſe infidelem: quæ ratio eſt tantum conſilii. Sed cum permittat Dominus, & Apoſtolus prohibeat, quodnam erit faciendum? Reſpondet Auguſtinus, licere qui-

quidem ex Domino; ſed non expedire ; ſicque impedimentum illud eo caſu non eſt plane dirimens.

Ac tandem addit Apoſtolus : ſi infidelis diſcedit, diſcedat , non enim ſervituti ſubjectus eſt frater in hujuſmodi,ut eo caſu,quo nempe infidelis fidelem dimittit , Matrimonium illud ita dirimat, ut ad alia vota tranſire poſſit, ne cum contumelia Creatoris in Matrimonio remanere cogatur , *cap.quanto , ext. de divor.* Et ſic eo caſu diſparitas cultus aut Religionis, eſt etiam impedimentum dirimens .

Secundum eſt conſanguinitatis aut cognationis ſeu propinquitatis , hic enim tria illa promiſcue uſurpantur. Triplex ea eſt, vel naturalis, vel legalis, vel ſpiritualis . I. In iis occurrit , qui ratione aut neceſſitudine ſanguinis juncti ſunt . Duplex eſt ejus linea: nempe recta , & obliqua . Recta eſt parentum & liberorum ; obliqua collateralium, ſeu eorum qui a latere , aut ex transverſo juncti ſunt ; quales ſunt fratres , aliive cognati aut propinqui . In recta prohibitæ ſunt Nuptiæ uſque in infinitum , eaque parit impedimentum etiam dirimens . In obliqua non tanta eſt obſervatio , inquit Juſtinianus , id eſt non ita prohibitæ ſunt in infinitum: in Jure Civili ad quartum cognationis gradum : in Jure Canonico ſæpius variatum eſt ; & forte prius videndum an Eccleſia tum primum gradus cognationis conſtituerit , in quibus prohibitæ eſſent Nuptiæ, an ſequuta ſit tantum leges humanas , ſeu Chriſtianorum Imperatorum.

Conſtat quidem,eam ſtatim ſecutam fuiſſe prohibitionem

hibitionem Nuptiarum, quæ legitur *Levitici cap.* 18. In primis ad eam recurrunt S. Ambrosius, S. Augustinus, sacri Canones Apostolorum, 19. *Illiberitani Concilii*, 60. *Neocæsarienſis* 2. Sed cum Divina lex illa deficit, ad leges humanas seu Imperiales statim confugiunt. Ita enim primi Impp. Christiani, sancto pudore, sancta verecundia suggerente, prohibitionem Nuptiarum produxerunt ultra gradus Levitici. Eorum leges extant in utroque *C.* Hoc certissime indicat unus ille titulus, *si Nuptiæ ex Rescripto petantur*: quod nihil aliud est, quam si ab Imperatore petatur venia contrahendi Matrimonii in gradibus prohibitis. Eam ab Imperatore petit S. Ambrosius in *Ep.* 48. *aliis* 60. *ad Paternum*. Ejus formulam scribit Cassiodorus *lib.* 7. *Variar. cap.* 46. Ergo Princeps cognationis gradus primo definierat, cum ab eo petatur ea dispensatio. Ad eas, inquam, recurrit S. Ambrosius *ibid.* ubi ait in ea re prius inspiciendas esse leges Divinas, & postmodum inspicienda Imperatorum præcepta. S. Augustinus *lib.* 15. *de Civit. Dei*, de Nuptiis consobrinorum agens, eas, inquit, non prohibuit lex Divina, & nondum prohibuit lex humana seu lex Imperialis.

Nec obstat *Canon de propinquis* 35. *q.* 2. ubi Fabianus ante Christianos Impp. cognationis gradus ita definit, ut ad quintum prohibitæ sint Nuptiæ. Nam omnes agnoscunt eum Canonem non extare inter Fabiani Decreta, & suppositas esse omnes illius Epistolas. Nec mihi antiquiores sunt Canones de iis gradibus ultra Leviticum, quam qui sexto seculo edi-

editi sunt in Gallia, quos ita recenset *II.Turon.Concilium* ejus ætatis in *Can.*21. Ut primo loco Leviticum: secundo sacram legum sententiam, videlicet *Cod.Th.* ultimo Canones exscribat: & sensim Ecclesia sæpius eos definivit, primo ad tertium gradum, secundo ad quartum, tertio ad quintum, ut docet Rabanus Maurus, in *Ep.ad Humbertum Episcopum apud Reginonem lib.2.de Discip. Eccles.cap.*200. Alexander II. & Urbanus II. ad septimam generationem: eoque pertinet Opusculum octavum Petri Damiani. Ac tandem Innocentius III. Nuptias prohibuit usque ad quartum gradum inclusive, *cap.*8. *Ext. de cons. & aff.* quod hodie observatur. Nec tamen dicendum est, revocatum esse antiqui Juris Civilis usum; nam aliter hodie computantur gradus. Veteres quidem Canones ex ea cognationis causa non dirimebant Matrimonium, & gravissimas pœnitentias imponere satis habebant: sed impedimentum illud cœpit esse dirimens. Unde ex ea causa tot diremta Matrimonia in multis Can. juris articulis & annalibus Ecclesiasticis. Quod etiam probatur in *d.cap.*8.& a Trident. Concilio *Sess.*24. *de Refor. Mat. Can.*5.

Cognatio legalis per adoptionem contingit, de qua in *tit. Decret. de cog. leg.* abiit in desuetudinem.

Cognatio spiritualis olim pluribus modis contrahebatur: Baptismo, & Confirmatione, *Can. si quis* 30. *q.*4. Imo & Catechismo seu sponsione futuri Baptismi, *cap.*5.*ext.de cog.spir.* Confessione, & Communione, *Can.omnes* 30.*q.*1. quod etiam exolevit. Olim adeo diffusa erat, ut multas quotidie ambages

pareret. Ideo Trid.Concilium voluit, ut ea obtineat tantum inter ſuſceptum ſeu baptizatum, & ejus patrimum & matrimam, inter utrumque illum, & patrem & matrem ſuſcepti. Ex ea oritur impedimentum prohibens & dirimens. Forte quidem non obtinebat S. Auguſtini tempore, ut palam eſt ex ejus *Epiſtola* 23. Sed ejus tanquam vulgaris meminit Juſtinianus in *l.*26. *Cod. de Nupt.* Unde Chilpericus Rex Galliæ poſt eum agens, ex ea cauſa uxorem ſuam repudiare potuit, & Fredegundem ducere, apud Aymoinum *lib.*3. *cap.*6.

Tertium eſt impedimentum affinitatis. Ea eſt neceſſitudo, quæ oritur ex juſtis Nuptiis inter alterum ex conjugibus, & alterius cognatos. Tot olim erant ejus gradus, quot conſanguinitatis: utraque ad quartum reſtricta eſt, ut ad eum ſit impedimentum dirimens, *d.cap.*8.

Quartum eſt publicæ honeſtatis, quod oritur ex ſolo pudore,& ex ſola publicæ honeſtatis ratione, quæ ſemper in Nuptiis inſpicienda eſt, & oritur etiam ex ſponſalibus. Ex Trident.Concilio non excedit primum gradum, in quo eſt impedimentum dirimens. Ac ſi quoquo modo nulla aut irrita ſint ſponſalia, impedimentum illud non pariunt, *ex ea Concilio & ejus declarationibus.*

TITULUS X.

De Ecclesiis.

ECclesia est locus Sacramentorum, ait S. Augustinus in *Ep.* 64. quique Catholicorum cœtum intra se continet, *Can.* 6. *de Consecrat. dist.* 1. Est quodammodo Divini Juris; nam ab hominibus instituta est ad Dei cultum. Olim Fidelibus odiosum erat nomen Templi, Arnobius 6. *adv. Gentes*; illud relinquebant Ethnicis, Optatus *lib.* 6. Aliquando quidem occurrunt Templa veri Dei; sed eleganter Zeno Veron. in *Serm. ad Psal.* 126. ait receptæ consuetudinis esse, ut dicantur Ecclesiæ vel domus Dei. Cumque post pacem Ecclesiæ datam certatim ædificatæ sunt ædes sacræ, statim appellatæ sunt Ecclesiæ. Hinc in utroque *Cod. tit. de sacros. Eccl. & tit. de pag. sacrif. & temp.* est prohibitum, ne conventicula hæreticorum Ecclesiæ nomen accipiant, *l.* 2. *Cod. Th. de Fide Cath.*

Post Constantinum Magnum tot passim ædificari cœperunt Ecclesiæ, ut statim primi Impp. Christiani modum iis imponere coacti fuerint. Quam in rem, primo lex ea ædificationi Ecclesiæ imposita est, ne quis eam ædificet absque consensu Diœcesani Episcopi, *Can.* 4. *Calched. Concilii*, *Can. quidam* 18. *q.* 2. Quod etiam Christianissimi Reges sua lege confirmarunt, *lib.* 5. *Capitular. cap.* 182. ut Episcopus causa cognita videat, an utilis & commoda sit plebi, ut

ita facilius ad eam accedere poſſit, nec noceat Veteri; quo caſu Parochus Veteris conſentire debet ædificationi novæ, *Can. multis* 16. *q.* 1. & an ex ſola pietate, ut in ea Deus oretur & adoretur, an pro ſolo quæſtu ædificetur; puta ut ædificator decimas & oblationes cum Clericis dividat, ut in *Can.* 8. *de Conſecrat. diſt.* 1. Secundo, ut non prius ædificetur Eccleſia, quam certa dos ei aſſignata ſit ad ſtipendia omnium, vel etiam minorum Clericorum, ad luminaria & ornamenta, ad ſarta tecta, *Capitul. lib.* 5. *cap.* 229. Regulariter quidem conſtituenda eſt ea dos, antequam Epiſcopus Eccleſiam ædificari permittat, ſed ſaltem ante illius conſecrationem. Impp. Zeno & Juſtinianus voluerunt, eam dotem inſinuari, ſeu in acta publica referri, tum ut de ea conſtet, tum ut & ipſe conſtructor & ipſius heredes præmiſſam Eccleſiam ædificare compellantur, ſive inchoata ſit ſive non, inſtar operum publicorum.

Cum ædificata & dotata eſt Eccleſia, Diœceſanus Epiſcopus eam dedicare debet, quæ prima pars eſt Conſecrationis; eamque præcedere ſolet, ut in Paganicis obſervat etiam Cornelius Fronto iis verbis: Illud dedicatur, & poſtea Deo conſecratur. Olim quidem dedicabatur tantum ſub nomine & in honorem Martyrum, *Can.* 5. *de Conſ. diſt.* 1. atque etiam Sanctiſſimæ Virginis, unde paſſim Martyrium, memoria Martyrum. Sed ipſis etiam Confeſſoribus dedicari cœpit, unde dicuntur etiam Confeſſiones, in *Can. ſi quis* 2. *q.* 7. Nec iis dedicatur quaſi Diis, ſed ut memoria hominibus mortuis, quorum ſpiritus

vi-

vivunt apud Deum, ait S.Augustinus *lib.22.de Civit.Dei cap.*10.Statim etiam ille idem Episcopus eam consecrare debet multis precibus adhibitis. Eaque consecratio est omnino juris Episcopalis, *Can.perlectis, dist.25.cap.1.ext. de Relig. domib.* Unde cum Gelasius I. statuit, Ecclesiam ædificari non posse absque præcepto Sedis Apostolicæ in *Can.de locorum*, & *in Can. præcepta*, *de Cons. dist.*1. Ecclesiæ Gall. Præsules jure protestati sunt, illud esse novum & insolens, apud Glabrum Rodulphum *lib.2.cap.*4.Ejus Consecrationis pars non est σταυροπήγιον: nam Episcopus eam Crucis fixionem facit, antequam Architecti ædes vel potius parietes aggrediantur, & consecratio est complementum.

Sacri Canones vetant,absque Reliquiis Sanctorum consecrari Ecclesiam, atque ita ut deponendus sit ille Episcopus, qui Ecclesiam absque Reliquiis consecraverit, *Can.7. septimæ Synodi*: quæ olim recondebantur sub majori Altari, S. Ambrosius in *Ep.*85. & S.Paulinus in *Ep.*12. Et hoc inde fluxisse videtur: quod Ecclesiæ a sepulchris Martyrum cœpisse dicantur, ad quæ Fideles diu noctuque conveniebant, ut orarent & sacra facerent. Olim etiam Ecclesiæ Dominicis tantum diebus consecrari poterant, *Can.*1. *Cæsaraugustanæ Synodi*. Sed placuit eas etiam consecrari posse privatis, idest non solemnibus, aut Festivis,*cap.2. ext. de Consecrat. Eccles. vel Alt.*

Cum Apostolus ad Hebræos *cap.*13. dixit, nos habere Altare, de quo edere non possunt qui taber-

naculo deſerviunt: invaluit in qualibet Eccleſia ædificari Altare, & quidem lapideum inſtar Sepulchri Dominici, ut in eo ſacra fiant. Olim quidem unum tantummodo erat, quia cuilibet Eccleſiæ unus præficiebatur Presbyter: ſed cum creſcente Fidelium multitudine, amplius frequentarentur Myſteria, & plures inſtituerentur Sacerdotes, multa etiam Altaria in ſingulis Eccleſiis inſtituta ſunt, vel etiam ante ſextum ſeculum, ut probari poteſt, ex *l.*27. *Cod.Th. de Epiſ.*& ex *l.*4.*eod.Cod.de Hæret.* ex Gregorio Turon.*lib.*1.*de Gloria Martyrum cap.*33.Cumque ſæpius ſuperabundarent, iis etiam modum impoſuit Carolus Magnus, in *Capitulari ad Theodonis Villam.*

Denique Sacri Canones ſemper voluerunt, certam aliquam reddituum Eccleſiaſticorum partem reparationibus Eccleſiarum deputari; in Hiſpania tertiam, in Gallia quartam. Cumque ſenſim invaluiſſet, multos ex iis bonis aliquid ſibi vindicare, Carolus Magnus *lib.*4. *Capitul. cap.*40. (quod etiam exſcribit Regino *lib.*1. *de Diſcipl. Eccleſ. cap.*36.) ſtatuit, ut de opere & reſtauratione Eccleſiarum unusquiſque tantum accipiat, quantum habere dignoſcitur ex rebus Eccleſiæ. Unde dicendum eſſet, hodie Decimatores, Rectores, ut vocant, primitivos, & ipſos etiam penſionarios pro rata conferre teneri ad reparationes Eccleſiarum. Sed invaluit, Eccleſiaſticarum rerum & Decimarum poſſeſſores teneri ad reparationem Chori, quod proprie ſit eorum; & Parochianos Eccleſiæ navim reparare, quaſi ea pars Eccleſiæ

siæ ad eos pertineat. Fit etiam distinctio inter majores & minores reparationes, ut primas (quibus non factis periret Ecclesia) illi omnes agnoscant, qui aliquid capiunt ex bonis Ecclesiasticis, & alias agnoscant titulares Clerici, nisi ad eas teneantur procuratores fabricæ.

TITULUS XI.

De Rebus Sacris, Sanctis, & Religiosis.

EAs omnes accurate distinguunt Jurisconsulti: sed Canonistæ sæpius eas promiscue usurpant. Res sacras definit Justinianus ex suæ Religionis Christianæ usu, quæ Deo rite per Pontifices consecratæ sunt, ut puta, inquit, ædes sacræ, & donaria, idest sacra Vasa & Ornamenta, quæ ad divinam Religionem pertinent, ut ipse interpretatur in *l. sancimus* 21. *Cod. de Sacros. Eccl.* Post pacem Ecclesiæ datam statim etiam Vasa illa, vel aurea, vel argentea fuisse, docet Optatus Milevit. *lib.* 1. *contra Parmenianum*. Baronius contendit, Calicem Domini etiam vitreum fuisse sub Apostolis, cujus neminerunt Hieronymus, & Bonifacius Martyr: sed propter nimiam ejus fragilitatem placuit, eum saltem esse stanneum, si pauperrimus sit Clericus, *Can.* 45. *de Consecrat. dist.* 1.

Ac tandem invaluit sæpius aureos vel argenteos esse Calices, eosque inter res sacras recenseri; sive sint ministeriales, sive communicales (quorum

uſus erat ad communicandum) ſive ſint ad ornatum, de quibus omnibus apud Anaſtaſium.

Ex rebus ſacris ſunt Oratoria, Baptiſteria, Altaria, Sanctuaria, ſeu Thecæ, in quibus conduntur Reliquiæ Sanctorum.

Res ſanctæ ſunt, quæ ſanctione quadam prophanæ eſſe deſierunt, & exemtæ ſunt hominum commercio. Iſidorus *lib.*15. *Orig. cap.*4. ait Sancta Veteribus eſſe exteriora Eccleſiæ, quæ nihil aliud ſunt, quam cinctum, ambitum, ſeptum Eccleſiæ, ut in *l.*4. *Cod. Th. de iis, qui ad Eccl. confugiunt*.

Sunt etiam res Religioſæ. Juriſconſulti non aliud habent earum exemplum, quam locum illum, in quem illatus fuerit mortuus, eumque vocant Religioſum; vel quod relictus ſit extra res humanas, vel quod Religione teneatur, cujus intereſt ſepeliri mortuos. Forte tamen addendum ex M. Tullio *lib.*2. *de legib.* non aliter locum eſſe Religioſum ſola illatione mortui, nec aliter Religione teneri, quam ſi Pontifices decreverint, & ab iis juſta ſoluta ſint ſepultis. Sed apud Chriſtianos non ita quilibet locus fit Religioſus ſola illatione mortui. Habent Cœmeteria, ideſt Dormitoria, in quibus nempe dormiunt mortui ad futuram reſurrectionem. Olim quidem deputata erant pro Corporibus Martyrum: ſed cum pax Eccleſiæ data eſt, humandis quibuslibet Chriſtianis relicta ſunt: & conſtat ſemper ea ſacris ritibus conſecrata aut benedicta fuiſſe, S. Cyprianus in *Ep.*68. Gregorius Turon. in *lib. de Gloria Confeſſ. cap.*106. & *cap. conſuluiſti* 7. *ext. de Conſecrat. Eccl. vel Alt.*

TI-

TITULUS XII.

De Decimis.

RECtissime notat Glossa ad *cap. 17. ext. h. t.* jus percipiendarum decimarum esse mere spirituale, quod ita cum rebus temporalibus permutari non potest, *cap. ult. ext. de rer. perm.* Sed rectissime etiam S. Thomas, Jo: Gerson, & Molinæus docent, ipsas Decimas ex se omnino esse res temporales, & applicative tantum spirituales, quod rebus spiritualibus, puta Ecclesiæ & ejus ministerio annexæ & deputatæ sint; & tamen eodem fere jure censentur ac res mere spirituales, ut probari potest ex *cap. 16. ext. de Jur. Patronatus*.

Decima est decima pars omnium fructuum & proventuum, quæ quotannis Deo, aut utique illius etiam Ecclesiæ ministris solvitur. Sane in quibusdam locis solvitur sexta, in aliis duodecima, in aliis decima-sexta; semper tamen dicitur Decima, vel quod illæ partes in locum Decimæ successerint; vel quod ad eam primo taxatum sit sacrum illud tributum, eaque frequentius observetur. Forte etiam præscripta est ea pars, quod denarius numerus Deo valde sit amicus & familiaris, ait Philo Judæus in *lib. de Congressu erudit. quær. causa*, cum unitatem demonstret, per quam repræsentatur Deus, ait Origenes in *Hom. 13.* Ea originem habet a jure naturali: nam & Hebræi eam solverunt ante Legem Dei, *Genesis cap. 14.*

*cap.*14. & conſtat eam ab ipſis etiam Ethnicis eorum Diis ſolutam fuiſſe. Vero Deo ſolvitur in recognitionem generalis dominii,*cap.*22.& 33.*ext.h.t. quia Domini eſt terra & plenitudo ejus*.

Conſtat etiam Hebræos jure divino debuiſſe Decimas. Præceptum de iis ſolvendis toties in Veteri Teſtamento repetitum eſt. Sed verior eſt ſententia S.Thomæ 2. 2. *quæſt.*87. *art.*1. apud Chriſtianos eas deberi tantum ex Conſtitutione Eccleſiaſtica, non etiam eo jure divino. Tum quia præceptum illud in lege Dei erat tantum Cæremoniale; nam earum ſolutio nihil aliud eſt, quam oblatio quorumdam fructuum: id genus autem præcepta morte Chriſti Domini exoleverunt, cum eſſent tantum ad umbram & figuram futuri Evangelii. Tum etiam quia Chriſtus Dominus nunquam eas imperaſſe legitur; cum enim Matth. *cap.*23. & Lucæ 11. dixit Phariſæo, hæc oportuit facere, puta miſericordiam & judicium, & ea non omittere, puta ſolvere Decimas, rectiſſime S.Thomas *ibidem* obſervat ex S.Hilario, eum uſum fuiſſe verbo illo præteriti temporis (oportuit) quod refertur ad Legem Moſaicam, ſub qua Phariſæus agebat. Nec quid etiam de Decimis habent Apoſtoli: nam & eorum Canones & Conſtitutiones Apoſtolicæ S.Clementis dubiæ ſunt & ſuſpectæ fidei,*Can.*1.& 2.*diſt.*16. cum etiam pleraque alia contineant Apoſtolorum temporibus incognita. Ac tandem qui fidem prædicarunt Ethnicis & Barbaris,ne verbum quidem habuerunt de præcepto Decimarum, ut etiam obſervat Crantzius in *Metropoli*;

quod

quod tamen non fuisset omittendum, si quidem esset divinum.

Constat igitur, apud nos Decimas esse tantum præcepti Ecclesiastici, quod aliquando divinum dicitur in *tit. de Decim.* cum nempe jus divinum latius accipitur. Sed non constat quandonam Ecclesia eas imperare cœperit. Primo quidem Fideles eas sola pietate movente solverunt. Ad eam devotionem eos hortati sunt Sancti Patres. Ejus exhortationis & admonitionis exemplum adhuc extat, in gestis Innocentii III. apud Bosquetum *pag.* 107. Sed eorum exhortationes & Homiliæ vim Legis aut Canonis non habebant, ut eas revocarent ad juris necessitatem; cumque frigescente charitate, circa finem sexti seculi, pia illa consuetudo deficeret, ut palam est ex *Epistola* 2. *Turon. Concilii*, statim II. Matisconense Concilium (quod a quibusdam dicitur Synodus generalis, ut docet Binius) in *Can.* 5. præcepit, ut omnis populus solvat Decimas, & Clerici eas distribuant pauperibus. Ab eo tempore plures Sacri Canones præceptum illud renovarunt. Baronius quidem & Binius decretum aliquod tertiæ Synodi Rom. sub Damaso exscribunt, quo imperantur Decimæ sub pœna excommunicationis; & huic concinit vita quædam Damasi: sed illi ipsi satis indicant illud omnino esse incertum, tum vero præcipue, quod inter ejus decreta non extet.

Cum generale esset præceptum de solvendis Decimis inter Christianos, invaluit eas esse solvendas ex frugibus, ex semine terræ, fructibus arborum,

fœ-

fœtu pecorum, & omni proventu, ideſt ex iis omnibus, quæ quoquo modo acquiri poſſiut, *cap.*23. *ext.h.t.* de lana, & quidem ſuccida & infecta, de fœno, de apibus in alveo concluſis, de piſcariis, de molendinis,de domibus, & paſcuis. Sed & perſonales Decimæ ſolvebantur obtentu perſonarum, quæ percipiebant Eccleſiaſtica Sacramenta, *cap.*18. *h. t. in Coll.*2. puta ex negotiatione, commercio, artificio, militia,& venatione, quo pertinet illud S.Auguſtini ad *Pſal.*146.& in *Serm.*64. *ad Fratres in Eremo.*Ex quacunque arte Dominus alicui donaverit ingenium lucrandi,unde ſe & ſuos alere & veſtire poſſit,& cum hoc ſuperlucrari aliquid, hilariter ſolvet Decimam ejus lucri, atque ita ut vir & uxor ſolverent Decimas collaborationum, ait Carolus Calvus in *Capitulis ad Ticin.Palat.cap.*11.ideſt eorum,quæ conſtante Matrimonio acquiſierint.

Sed probatur ea conſuetudo, ex qua plures ex iis Decimis non ſolvantur, ait S.Thomas *ibid.* Ea perſonales Decimas abrogavit in Gallia, & ex fœno, ex oleribus,& fructibus hortorum. Quam in rem inſignes ſunt Philippinæ Conſtitutiones, altera Philippi Auguſti, ut Clerici non amplius habeant prædia, ſed tantum Decimas & Oblationes. Eam refert Guill.Brito *lib.*10. *Philippidos*, quæ non obtinuit: altera Philippi Pulchri,& ultima Philippi IV. ut illæ tantum Decimæ ſolvantur, quæ conſueverunt ſolvi & exigi. Eas exſcribit Bochellus *hoc titulo*.

Aliæ ſunt Decimæ majores, puta ex blado, ſeu ex omni genere tritici, & ex vino, ubi copia eſt vinearum;

nearum ; aliæ minutæ, *cap.*3. *ext.h.t.* puta ex fructibus hortorum, ex leguminibus, & ex nutrimine animalium, *cap.*3. *de tranſ.in Coll.*2.Rectiſſime Hoſtienſis ad *d.cap.*3.*hoc tit.* ait eas definiri juxta varias locorum conſuetudines, prout in iis copia vel penuria ſit earum rerum. Minutæ dicuntur etiam hodie Virides, quod ut plurimum ſunt ex iis, quæ virides habent frondes : nam apud ſequioris ævi Scriptores illud viride dicitur, quod ex iis naſcitur, quæ habent viridia folia, ut notat Gloſſarium ad Matth. Pariſ.

Ita ſolvendæ ſunt Decimæ, ut nec minus, nec pejus ſolvatur, ait S.Ambroſius in *Serm.*34. prout fructus percipiuntur & occurrunt, *cap.*1. *ext.hoc tit.* atque etiam integraliter, ut paſſim loquuntur Pontifices, ideſt abſque ulla diminutione,*cap.*21.ex omnibus prædiis, ut mox videbimus. Ita ut ex fructibus impenſæ non deducantur, quæ ad eos ferendos, colendos, & cogendos factæ fuerint, *cap.*7. *&* 26. Nam & colonus ſtatutam penſionem ſolvit Domino, nec ſemen nec impenſas deducit, & homines tanquam coloni, Deo, tanquam Domino ſolvunt Decimas.

Sunt etiam aliæ Veteres Decimæ, aliæ Novalium, *cap.*3.*hoc tit. in* 5. *Compil.* Veteres, quæ ſemper præſtari conſueverunt ex iis agris, qui ſemper etiam exculti ſunt. Innocentius III. in *cap.*21.*ext.de V. S.* Novale ita definit : ager qui de novo redactus eſt ad culturam,& de quo memoria non extat, quod aliquando excultus fuerit,puta ſi exſiccata ſit palus,

aut

aut eruta ſylva, ex utraque Novales fiunt agri: non etiam ſi in quibuſdam aliis mutatum ſit tantum culturæ genus, *cap.4. extr.hoc tit.* Cumque quidam agri cœperunt eſſe Novales, nunquam tales eſſe deſinunt, ut ſemper ex iis debeantur Decimæ, tanquam ex Novalibus, *cap.ult.ext.de Privil.*

Novalium Decimæ iis Paræcialibus Eccleſiis jure communi debentur, in quarum territorio conſtat eas percipi. Volunt quidem ſacri Canones, ut quælibet Eccleſia ſuos habeat terminos, de quibus villis exigat Decimas, ut etiam loquitur Carolus Magnus *lib.1. Capitul. cap.155.* Si tamen dubitetur intra cujus paræciæ terminos percipiantur, Diœceſanus Epiſcopus eas ſibi vindicare poteſt, vel alteri Eccleſiæ donare, *cap.13. ext. hoc tit.* quia cum ex antiquo Jure Canonico ad eum pertineant, & poſtmodum aſſignatæ ſint Paræciis, ſi quædam Decimatio nulli aſſignata reperiatur, ea Diœceſano Epiſcopo relicta præſumitur, quaſi relicta ſit in eo ipſo ſtatu, in quo erat olim jure communi. Sed Carolus Magnus apud Reginonem *lib.1.de Diſcip.Eccleſiaſt.cap.44.* ſtatuit, non aliter Epiſcopum eas alteri Eccleſiæ donare poſſe, quam ſi Novales agri ab antiqua Eccleſia ſaltem diſtent 4. aut 5. milliaribus, cui præſtandæ ſunt in dubio: niſi vel per præſcriptionem, vel per privilegium eas amiſerit.

Per præſcriptionem, adde ſpecialem, ut nempe ita demum Eccleſia Novalium Decimas in aliena Paræcia præſcribere poſſit, ſi quidem eas per canonicum tempus, puta per quadraginta annos poſſederit, &

per-

perceperit. Ac licet Veteres aut Majores Decimas præscripserit, attamen non acquisivit aut præscripsit Decimas Novalium, quas non percepit, quia sine possessione præscriptio non procedit. Sed si alicui concessum sit generale Privilegium de non solvendis aut de percipiendis omnibus Decimis, eo continentur etiam Decimæ futuri temporis, *cap.22. extr. de Privileg.* ideſt etiam Decimæ Novalium, seu eorum agrorum, qui post privilegium concessum revocati sunt ad culturam, *cap.5. hoc tit. in quinta Compilat.* quia in generalibus privilegiis plenissima interpretatio facienda est. Si vero speciale sit Privilegium de percipiendis aut non præstandis Decimis, Veteres tantum continentur, non etiam Novalium, quia concessæ tantum intelliguntur, quæ percipiebantur tempore concessi privilegii.

Veteres etiam Decimæ Paræciis debentur. Olim quidem instar omnium bonorum Ecclesiasticorum erant in potestate Diœcesanorum Episcoporum: sed cum vel iis abuterentur, aut utique minus diligenter eas curarent, placuit eas solvi Parochis, *Can. de Decimis 16. q.1.* ita tamen ut quartam partem Episcopis præstarent. Unde quarta Decimationum inter eorum jura recensetur in *cap. conquerente 16. extr. de off. jud. ord.* quæ tandem Parochis relicta dicitur in *Bracarensi Concilio*, qui sic eas integras habere cœperunt; ideoque appellantur Parochianæ in *Can. 57. Meldensis Concilii*, quod Paræcialibus Ecclesiis Paræciali jure debeantur, ut est in *cap.9. de præscript. in prima Coll.* & jure communi, *cap.30. ext. de Decim.*

Un-

Undenam igitur Canonici, Monachi, & Nobiles tot habent Decimas? Veteres quidem Monachi nunquam eas habere voluerunt, seque indignos esse putarunt, qui Decimas exigerent; quippe quæ solis Clericis datæ fuerint, quales olim non erant Monachi. Videndus omnino Robertus Molismensis Abbas apud Ordericum Vitalem, *lib.*8. *Hist.Eccl.* & Hugo Pontiniac. in ea *Epistola*, quam Juretus exscribit post *Epistolas* Ivonis Carnot. Sed sensim eas habere coeperunt partim ex restitutione Nobilium, qui cum eas hinc inde usurpassent, & restituere jussi essent in variis Conciliis, eas Monasteriis restituebant. Quidam illud probant ex *Can.ult.* 16.*q.*1. sed male; nam Apochryphus est, & quod inter Epistolas Damasi, & S. Hieronymi non extet: & quod utriusque tempore, nulli adhuc Canones Decimas imperaverant, ut ita vix usurpari & restitui potuerint.

Partim ex donatione ipsorum Episcoporum, qui Monachis eas donabant in eleemosynam. Utramque hanc & restitutionem & donationem probárunt sacri Canones, quia Ecclesia Decimas & oblationes cum omnibus pauperibus communicare potest; quanto magis cum iis, qui relictis facultatibus suis, pauperem Christum sequuntur, ait Ivo Carnot. in *Ep.* 192. Sicut etiam Decimæ solvebantur Levitis, qui nulla prorsus habebant prædia, ut Templo diligentius deservirent: ita & Monachis concedi potuerunt Decimæ, qui nihil etiam habebant, & diu noctuque pro peccatis offerentium orabant, ait Petrus Venerabilis, *lib.*1. *Ep.*28. Eadem omnino dicenda sunt de Collegiis Canonicorum.

Prin-

Principes etiam, aliive Nobiles multas Decimas habere cœperunt per earum infeodationem. Eaque nihil aliud eſt, quam alienatio ea lege facta, ut Vaſſallus fidelitatem Domino exhibeat ratione illius rei, quam ab eo accepit in feudum. Unde ſtatim dubitari poteſt, an Decimæ ab Eccleſia in feudum dari poſſint: nam verius eſt eas Decimas (quas hodie vocamus infeodatas) & origine ſua eſſe omnino Eccleſiaſticas; tum quia ubi Decimæ infeodatæ percipiuntur a laicis, ibi Eccleſia nullas percipit, cum tamen ex omni terra ei debeantur; ergo laici eas poſſident & percipiunt nomine ipſius Eccleſiæ, a qua eas acceperunt in feudum: tum etiam quia ex veteri quadam Conſtitutione S. Ludovici, cum Decimæ infeodatæ a laicis eorum poſſeſſoribus venduntur Eccleſiæ, adeo ad primævam originem & verum ac priorem Dominum redeunt, ut nec redhibitioni gentilitiæ locus ſit, nec requiratur aut Regis aut Superioris alterius Domini conſenſus, qui tamen deſideratur, cum Vaſſallus rem aliquam feudalem vendit Eccleſiæ, quod ſic ea res cadat in manum mortuam.

Cum ergo Decimæ ſint res Eccleſiaſticæ, vix in feudum dari poſſe viderentur, cum ea ſit alienatio. Et tamen jamdiu illud ea ratione invaluit, quod & ſacri Canones & Leges Imperiales earum rerum alienationem permittant pro redimendis captivis. Unde cum Eccleſia ſe a Tyrannis & Ethnicis tueri non poſſet, ſuas illas Decimas Principibus dedit per ſpeciem feudi ſeu beneficii, ut ab iis defenderetur, & ab imminente captivitate liberaretur, Mathæus Pariſ.

in *Henrico III.* Innocentius III. *lib.* 1. *Reg. Ep.* 21. Crantzius in *Metropoli lib.* 1. *cap.* 2. Quidam volunt illud tumprimum prodiiſſe ſub Carolo Martello: ſed antiquiores ſunt illæ Decimæ infeodatæ, & forte verius eſt eas cœpiſſe circa ſextum ſeculum, quo Jura feudorum prodierunt. Decimæ illæ plurimum differunt a dominicis aut indominicatis, quæ paſſim occurrunt in Eccleſiæ Gallicanæ Conciliis: hæ ſiquidem prophanæ ſunt, & agrorum cenſus aut tributa, veluti Campartium, Agrarium, Cottagium, & alia id genus.

Olim quidem Eccleſiaſticæ Decimæ in feudum dari non poterant, niſi ex authoritate Summi Pontificis, ut nempe contra generalem Eccleſiæ diſciplinam laici eas poſſiderent, quæ ſolis Clericis deputatæ ſunt. Sed invaluit eas etiam ab Epiſcopis dari poſſe in feudum, quia res Eccleſiaſticæ abſque eorum conſenſu alienari non poſſunt. Cumque ab iis omnes fere Decimæ infeodarentur, vel per timorem, vel per favorem, vel per avaritiam, ut docet Carolus Calvus in *Capitulis* ex *Synodo Pontigonenſi cap.* 10. ſub excommunicationis pœna cautum eſt, ne laicis Decimæ darentur in feudum, *Can. Decimas*, *Can. pervenit* 12. *q.* 3. & Alexander III. videns in Gallia frequentiorem eſſe decimarum infeodationem, in *Turon. Concilio* eandem pœnam ſtatuit in eos, qui darent, & in eos qui eas acciperent in feudum; quod adhuc in ſuo Lateran. Concilio confirmavit, *cap.* 19. *ext. hoc tit.* Sed omnino verius eſt illud pertinere tantum ad eas Decimas, quæ poſtmodum infeodatæ fuerint, non

etiam

etiam ad eas, quæ ante illud Concilium. Nec enim laicis eas adimere potuit, cum iis acquiſitæ eſſent ſolemni contractu & publica conventione, ait Molinæus. Et hinc Innocentius III. eas patitur & tolerat, in *cap.25.ext.hoc tit.* & Alexander IV. in *cap.3. eod.in ſexto.* Unde qui hodie Decimas illas poſſident, vel titulum infeodationis habere debent ante illud Concilium, vel aſſerere, ſe ſuoſque majores poſſediſſe illas Decimas ab eo tempore, quod excedat hominum memoriam. Ea enim poſſeſſio immemorialis titulum inducit vel etiam ante illud Concilium. Licet vero Eccleſiaſticæ ſint illæ Decimæ, attamen earum infeodatio facit, ut in Gallia ſæpius habeantur quaſi prophanæ, puta ut earum poſſeſſores de iis ad libitum diſponere poſſint, eaſque transferant ad heredes: atque etiam ut ſoli Judices Regii de iis cognoſcere poſſint, quonam judicio agatur; ſunt enim plane patrimoniales & temporales.

Denique ſub Philippo Auguſto Galliæ Rege, & Henrico II. Rege Angliæ, pro Belli ſacri ſumtibus Decimæ quædam in omnes Eccleſiaſticos (exceptis Carthuſienſibus, Bernardinis, & Monachis Fontis Ebraldi) indictæ & impoſitæ fuerunt, ut eas ſolverent ex omnibus Eccleſiarum ſuarum reditibus, atque etiam ex pretio ſuorum mobilium, quæ præter neceſſitatem privatis eorum uſibus deſtinata erant. Dictæ ſunt Saladinides a Saladino Ægypti Suldano, contra quem duo illi Reges ducebant exercitum; ab Epiſcopis Eccleſiæ Gallicanæ probatæ & receptæ ſunt in Conventu Pariſienſi, ut docet Rigordus,

diſſentiente Petro Bleſenſi in *Epiſt.*112.

TITULUS XIII.

De Primitiis, & Oblationibus.

PRimitiæ ſunt primi fructus omnium rerum, ſive naſcantur ex ſemine terræ, ſive etiam ex animalibus: exploſa enim eſt eorum ſententia, qui primitias diſtinguebant a primogeniis, ut docent S. Ambroſius in *Ep.*39. & S. Auguſtinus *lib.*4. *Quæſtionum ſuper Numeros cap.*32. In lege Dei in quibus locis præcipiuntur Decimæ, in iis adduntur etiam primitiæ; ſed non ita exprimitur certa earum quantitas, nec ex quibus rebus ſolvendæ ſint; ideoque S. Hieronymus in *cap.*1. *ext. de Decim.* ait offerentium arbitrio relictas eſſe primitias; ac ne Sacerdotes eo nomine aliquid amplius a populo exigerent per avaritiam, ſubjicit ſtatuiſſe legis doctores, pro primitiis, non majorem ſolvendam eſſe fructuum partem, quam quadrageſimam, quæ dicebatur oblatio boni oculi; nec minorem, quam ſexageſimam, quæ dicebatur oblatio mali oculi; & vulgo quinquageſimam ſolvi.

Apud Chriſtianos antiquiſſima etiam oblatio Primitiarum occurrit in *Apoſtolorum Can.*4. & in *Conſtitutionibus Apoſtolicis lib.*7. *cap.*30. S. Thomas agnoſcit earum mentionem non extare in nova lege Chriſti, & ideo eas deberi tantum ex Conſtitutione Eccleſiæ. Occurrunt tantum ab ea imperatæ circa

ſex-

ſextum ſeculum in quodam *Hiſpal. Concilio* apud Ivonem Carnot. in *Decreti parte* 3. *cap.* 174. Jubet etiam Herardus Turon. in ſuis *Capitulis ad nonum ſeculum*, ut Primitiæ deferantur ad Eccleſiam. Ac tandem verſæ ſunt etiam in aſſiduum uſum & juris neceſſitatem, ut debeantur Paræcialibus Eccleſiis. Sane non conſtat, ad quem modum & ex quibus rebus præſtandæ ſint, ideoque ſequenda eſt locorum conſuetudo, ait Hoſtienſis ad *cap.* 1. *ext. de Decim.* & S. Thomas 2. 2. *art.* 86. *q.* 4. Hoc etiam præcise habet *Epiſtola* 131. inter Epiſtolas Innocentii III. *lib.* 3. *Reg.* ſed invaluit eam eſſe ſuſpectam & apochrypham.

Alia Fidelium dona & munera Eccleſiæ facta, ſimpliciter dicuntur oblationes. Antiquiſsimæ ſunt: earum meminit etiam Tertullianus paſsim, & indicat eas olim ex pluribus cauſis factas fuiſſe, vel pro mortuis, vel pro redemtione animæ, vel pro Sponſalibus, & Matrimoniis, vel pro frugibus, & aliis rebus innumeris; ut forte non immerito Ammianus Marcellinus *lib.* 27. jam ſuo tempore aſſerat iis oblationibus ditatos eſſe Clericos Eccleſiæ Romanæ. Non omnium rerum admittuntur oblationes, ſed tantummodo earum, quæ majeſtati & ſanctitati Eccleſiæ conveniant, *Can.* 3. & 4. *Apoſtolorum*. Nec etiam quilibet Chriſtiani offerre, ſeu oblationes facere poſſunt; non publice pœnitentes, *Can.* 18. *Illiberit. Concilii*; non diſſidentes fratres; non illi etiam, qui pauperes opprimunt, *Can.* 93. & 94. *Carthagin. Concilii quarti*; non ſcelerati, non raptores, non uſurarii, non alii malæ rei homines. Sicque cum Eccleſia multos Ca-

nones ediderit de recipiendis aut rejiciendis oblationibus, honori esse cœpit admitti ad oblationes; & vice versa pudendum ac pœnæ loco ad eas non admitti, ut docet S. Augustinus in *Ep.* 187. & passim in sacris Canonibus aliquem esse in communione orationum, sine oblatione, ideſt, ita ut ejus oblatio non recipiatur.

Olim deferebantur ad Episcopum, & ab eo cum aliis obventionibus Ecclesiasticis dividebantur etiam in quatuor partes; sed tandem placuit eas iis Ecclesiis relinqui, in quibus fierent. Quod tamen non semel immutatum: & hinc cum quæritur quis habeat jus percipiendarum oblationum in quadam Ecclesia, Ivo Carnot. in *Ep.* 172. scribit illud competere vel Paræciali jure, puta Parocho, vel concessione Diœcesani Episcopi; puta quibusdam Monachis, quod illud iis donaverit in eleemosynam: vel largitione legitimi possessoris, cui nempe jus illud rite concessum fuerit, & illud alteri dederit.

TITULUS XIV.

De Parochiis.

LEgitur Paræcia, ideſt vicinia, quasi sit aliquod territorium: cujus incolæ vicinam habeant Ecclesiam; & sæpius Paræcia occurrit in antiquis Canonibus. Legitur etiam Parochia jam apud Severum Sulpitium in *Dialogo* 1. & 3. & Sydonium Apoll. *lib.* 7. *Ep.* 6. *in fine*. Quasi exhibitio necessa-

riorum

rorum ad viam, ut docet Feſtus in *verb.Parochum*, & Horatius *lib.2. Serm. ſat.*8.Sicque dici poteſt,Parochiam eſſe locum,in quo multis Fidelibus congregatis neceſſaria præbentur ad ſalutem. Quidquid ſit, in Eccleſiaſtica politia Paræcia vel Parochia eſt aliquod territorium. Primo quidem fuit Epiſcopi,quod ſenſim appellatum eſt Diœceſis ; & poſtea ſingularis Presbyteri, qui Epiſcopo ſubjacet, & hodie dicitur tantum Paræcia, aut Parochia.

Quandonam inſtitutæ ſint Paræciæ, non ſatis conſtat. Primo quidem in qualibet Diœceſi fuit tantum matrix Eccleſia, quam poſtea dixerunt Cathedralem. Creſcente Fidelium multitudine, neceſſitas poſtulavit ſingulares quaſdam Eccleſias inſtitui, in quibus convenirent & Sacris adeſſent. Anaſtaſius in *Evariſto ſub Trajano*,ait eum titulos in urbe Roma diviſiſſe Presbyteris, ideſt Paræciales Eccleſias: & in *Dionyſio ad principium tertii ſeculi* ait, eum Paræcias inſtituiſſe & diviſiſſe Presbyteris. Addunt foris ſeu extra urbem: unde ruſticæ Paræciæ paſſim dicuntur forenſes,& Diœceſes in *Can.*18.*tertii Aurelian.Concilii*. Cumque ita eſſent tantum Cathedrales & Paræciales Eccleſiæ, in antiquis Canonibus Eccleſia de iis tantum accipitur, ſicut & Sacerdotes & Presbyteri de Epiſcopis& Parochis ſæpius intelligendi ſunt. Theodulfus Aurel.Epiſcopus in *Epiſtola ad ſuos Parochos*, ait Epiſcopos eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & Parochos 70. Diſcipulorum. Paſſim etiam dicuntur Plebani, quod intra ſuum territorium Eccleſiaſtica Sacramenta plebi adminiſtrare debeant.

beant. Dicuntur hodie Curati pro Curatores: docent enim Grammatici, hæc vocabula ſic formata in ultima latinitate, eam habuiſſe ſignificationem ut exploratí pro exploratoribus, ſpeculati pro ſpeculatoribus, & Curati pro Curatoribus. Et forte appellatio illa Curatorum fluxit ex Veteri Interpretatione Laodiceni *Can.*57. ubi cum ſtatutum eſt, ne in vicis Epiſcopi conſtituantur, ſed περιοδεῦται, hoc vertitur ſed *Curatores*, qui nempe Fideles curent, eorumque ſaluti conſulant; quod translatum a Medicis, qui tempore hujus Concili dicebantur περιοδευειν, & curare morbos. Veteres ſacri Canones jubent ſæpius, ut quælibet Eccleſia unum habeat Presbyterum, quod præcipue obtinebat in Paræciali; ſed creſcente Fidelium multitudine, voluerunt ut quilibet Parochus quoſdam habeat Clericos, qui nobis hodie dicuntur habituati, & de quibus olim egimus ad *cap.*30. *ext. de jure Patron.*

Sicut matrix Eccleſia totius Diœceſis ideo dicitur Cathedralis, quod ſedem aut Cathedram Epiſcopi habeat: ita & rectiſſime Author Gemblacenſis Chronici ad *an.*1123. ait tres illas eſſe notas Paræcialis Eccleſiæ: Prima eſt, ut ſuo jure habeat Baptiſterium, ſeu Fontes Baptiſmales, qui a Diœceſano Epiſcopo in ea inſtituti ſint, *Can.*7. *Vernenſis Concilii ſub Carolo Calvo*, & *cap.un. de Bapt. in Clem.* Aliquando tamen in ſubſidium, aut etiam neceſſitate cogente, in quibuſdam minoribus Eccleſiis inſtituti ſunt ex conſenſu Parochi, qui dicuntur ſuccurſales.

Se-

Secunda eſt, ut ſuo jure Decimas capiat in ſuo territorio ; non etiam ſi ex aliena conceſſione, ut diximus in ſuperiori Titulo .

Tertia eſt , ut habeat ſepulturam , ideſt , ut jure communi Fideles ejus territorii, in ea, aut in ejus cœmeterio ſepeliri debeant ; quod tandem obtinuit ; & hinc SS.Patres dicuntur paſſim Paræcias & Cœmeteria non procul ab iis inſtituiſſe . Hinc etiam in Libris Decretalium Titulus de Parochiis ſtatim ſequitur Titulum de Sepulturis , ut in quibus Eccleſiis Divina Sacramenta perceperunt, in iis ſepeliantur ; & quæ per Baptiſmum eos pepererunt in Chriſto , eos etiam venturo Chriſto ſervent . Hoc quidem ita facile obtinuit, quandiu fuerunt tantum Cathedrales & Paræciales Eccleſiæ: ſed cum tot ædes ſacræ prodierunt , ſtatim Fidelibus conceſſa eſt electio ſepulturæ in Monaſteriis , aliiſve locis Religioſis , cujus meminit Juſtinianus in *Nov.* 133. *cap.* 3. & Gregorius Magnus in *Can. Agapitus* 16. *q.* 1. inhumanum & irreligioſum eſſe ait prohibere, ne Fideles ſepeliantur in Monaſteriis . Sane deſiderat Parochi conſenſum , in *cap.* 1. *de Sepult. in* 1. *Coll.* ſed Paſchalis II. in *cap.* 2. *ibid.* & Alexander III. in *cap.* 6. *ext. ibid.* Clemens V. in *cap.* 2. *ibid. in Clem.* liberam eligendæ Sepulturæ facultatem dederunt , ita ut ipſo jure competat , ideſt , non petita venia .

Tria tamen illa Parocho ſervata ſunt. Primum eſt, ut ille ſolus ſuis morientibus Parochianis Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare poſſit . Secundum eſt , ut ei præſtetur juſtitia , *cap.* 9. *ext. de Sep.* ideſt

Ca-

Canonica portio earum oblationum, quæ fiunt prō mortuis: dicuntur hodie Paræcialia jura. Tertium eſt, ut cadaver prius deferatur ad Paræcialem Eccleſiam, a qua adſumatur & efferatur in aliam Sepulturæ deſtinatam, *d.cap.*9. qua tamen in re diſſidium fuit inter Veteres Canoniſtas. Alii omnino illud rejiciunt, quaſi electionis libertatem infringat: alii volunt illud pendere a conſuetudine: alii hoc indiſtincte probant, ut Fideles Matri ſuæ ultimum vale dicant, ut ei pro ſalutis pabulo gratias agant, atque etiam quod in ea facilius deprehendi poſſit, an Eccleſiaſtica Sepultura digni ſint.

Semper etiam obtinuit, ut Fideles omnes diebus Dominicis ſacra audiant in ſuis Paræcialibus Eccleſiis. Olim quidem Veteres quotidie Sacram Synaxim peragebant, Tertullianus *de Jejunio cap.*14. & S. Cyprianus in *Ep.*54. Sed omnes Liturgici de privata Miſſa illud accipiunt, non etiam de publica, cui nempe frequentia populi adſit. Sicut enim Apoſtoli conveniſſe dicuntur una Sabbathi ad frangendum panem, *Act.cap.*20. ita & ſolis diebus Dominicis celebrabantur Miſſæ publicæ, cui Fideles omnes adeſſe tenebantur, Juſtinus Martyr in *Apol.*2. Fabianus Summus Pontifex in *Ep.*1. Conſtitutiones Apoſtolorum *lib.*2.*cap.*36. Et hinc præceptum de Miſſa diebus Dominicis audienda, *Can. Miſſas, de Conſecrat. diſt.*1. & *Can.*31. *Tribur. Concilii.* Cumque iis temporibus vix aliæ eſſent, quam Paræciales Eccleſiæ, in quibus convenirent Fideles, illud ad eas proprie pertinebat, & contra eos qui huic Miſſæ non adeſ-

ſent

sent per tres Dominicas, pœna Excommunicationis statuta est in *Can.21. Illiberit. Concilii*, quem ad Laicos pertinuisse constat ex *Can.14. Sardic.* & a *Can.81. sextæ Synodi* productum fuisse ad Clericos. Ac tandem illud renovatum in ultima *Synodo Turon.*

Ejus disciplinæ duplex ea ratio est, & ut Fideles ea die Deo aliquid offerant, ut jubent passim sacri Canones; & ut Pastor suas Oves cognoscat, & doceat quid vere & sincere credendum, quomodo vivendum juxta regulas Evangelii & Canonum.

Ab ea regula excipit sexta Synodus graviorem necessitatem & difficile negotium, quod nempe aliquem abesse compellat ab ea Missa. Sicut etiam peregrinos lares, contemta patria, sectari non licet, quasi ea non sufficiat ad virtutis & eruditionis exercitium, ut pluribus probat eleganter Aristides in *Orat. Genetliaca in Apellon. to.1.* ita & Nannetense Concilium in *cap.2. ext.hoc tit.* indicat, eos tantum supradictæ excommunicationi subjacere, qui contemto proprio Parocho, in alia Ecclesia Missam ea die audiunt, non etiam eos qui bono zelo, ut loquitur Panormitanus, & ex sola devotione aut pietate.

Denique Innocentius III. in generali *Concilio Later.* quod extat in *cap.omnis, ext.de Pœnit.* statuit, ut Fideles omnes utriusque sexus, qui ad annos discretionis pervenerint, omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteantur proprio Sacerdoti. Quænam ætas ea sit ad peccatorum Confessionem idonea, definire videtur Timotheus Alexandrinus Episcopus in *responsis Canonicis, in fine*, his verbis. Interrogatio:

tio: Ex quanam ætate a Deo judicantur peccata? Reſpondet Timotheus: Ex uniuſcujuſque cognitione & prudentia: illi quidem a decennio, huic vero a majori ætate. Cumque Harmenopulus eam definitionem exſcripſit in Epitome Canonum, *ſectione* 5. *tit.*4. *in fine*, Scholium illud ſubjicitur apud Leunclavium: Nonnulli tradunt, debere tam maſculos, quam fœminas, poſteaquam ſextum ætatis annum impleverint, per Confeſſionem corrigi & ſanctificari. Balſamon ad hunc Timotheum generaliter ait, ætatem diſcretionis eſſe, qua Fideles bonum & malum diſcernere poſſint, quod ſæpius arbitrio Confeſſoris judicandum eſſe, ait Hoſtienſis.

Quæritur quænam fuerit cauſa & occaſio ejus Canonis? Forte quidem ea repeti poteſt ex tepiditate & remiſſione Chriſtianorum ejus temporis. Sed unam hanc ſuggerit Hovedenus ad *an.* 1076. & Petrus Ciſtercienſis in *Hiſtoria Albigenſium cap.*2. quod cum ea ætate Albigenſes contenderent, inanem & frivolam eſſe Confeſſionem, & Fideles cui vellent, confiteri poſſe, vel etiam laicis, Concilium illud voluit, ut ex annua illa Confeſſione Parocho facta, videret Eccleſia, quinam ex ſuis ambularent in via veritatis. Forte etiam in eo *Can.* additum eſt, ut omnia peccata confiteantur, contra eam conſuetudinem, ex qua Fideles ejus temporis, ante caput Jejunii quadrageſimalis, mortalia tantum peccata confitebantur; & in fine ad Feſtum Paſchatis venialia, ut non multum antea docet Petrus Bleſenſis in *ſerm.*10.

Ad-

Additur, proprio Sacerdoti, ideſt proprio Parocho. Recentiores Monachi jam a prima origine ſua officium Parochorum uſurpantes eum vertunt proprium & conſuetum Confeſſorem, qualiscumque ſit Presbyter, ut ita Fidelium Confeſſiones propter ſua privilegia quocumque tempore audire poſſint; ſed Mat. Pariſ. in *Henrico III.* ait, ad retundendam eorum temeritatem publice coram iis lectum eſſe *cap. illud omnis.* Ut ex eo innoteſceret eam eſſe mentem totius Eccleſiæ, ſolum Parochum (aut Presbyteros ab eo deputatos in ſua Eccleſia) annuæ illius Confeſſionis verum eſſe miniſtrum, quem Sacri Canones paſſim vocant proprium Sacerdotem, *Can. relatio* 21. *q.* 1. *Can. præcipimus* 21. *q.* 2. & *Capitularium lib.* 1. *cap.* 173.

Ibidem etiam ſtatuit Innocentius III. ut quilibet Fideles ad minus in Feſto Paſchæ ſacroſanctam Euchariſtiam a proprio Sacerdote accipiant. Varius fuit ejus Communionis uſus, ut modo quotidie, modo ter in anno fieret, in die Natali Domini, in die Paſchæ, & in die Pentecoſtes. Benigna Mater Eccleſia conniventibus oculis patitur, ſi Fideles ſemel in Paſchate communicent: quod tamen olim S. Ambroſius & S. Auguſtinus in Orientalibus reprehendebant.

TITULUS XV.

De Beneficiis Eccleſiaſticis.

BEneficium Eccleſiaſticum eſt jus utendi fruendi quibuſdam rebus Eccleſiaſticis in perpetuum; quod ſoli Clerico competit propter Divinum Miniſterium. Eſt jus perinde ac feudum in rebus profanis, *lib.2. feudorum tit.23.* utendi fruendi: nam Clerici non ſunt earum rerum domini, quas ab Eccleſia tenent; ſed tantum fructuarii, ut tamen omnes plane fructus capiant & tranſmittant ad heredes, ultimo anno pro rata temporis quo deſervierunt Eccleſiæ, ſicut mariti pro rata tranſacti Matrimonii propter ejus onera. Quibuſdam rebus Eccleſiaſticis, quæ nempe huic Beneficio adſcriptæ ſint, & mobilibus puta oblationibus. Nam quædam Eccleſiæ de iis tantum ſubſiſtunt, ait Carolus Calvus in *Capitulis*, quo caſu Clerici eas conſumunt, nec quid in earum locum ſufficere tenentur. Jus earum percipiendarum Beneficii fundus eſt, & in rebus immobilibus quarum Clerici plenum habent uſumfr. In perpetuum; ſicut enim Clericus non ordinatur ad tempus; ita nec alicui Eccleſiæ ad tempus addicitur. Unde olim Officia Clauſtralia proprie non erant Beneficia, quod ad nutum Superiorum adimi poſſent, *cap.6. verſic. nec alicui, ext.de Stat.Mon.* Quod Clerico competit: ſoli enim Clerici proprie ſunt capaces Beneficiorum, & ſolum illud miniſterium Eccleſiaſticum dici poteſt

Be-

Beneficium, quod non nisi Clericos habere, Sanctorum Patrum sancivit authoritas, *Can.* 1. *Andegav. Concilii sub Nicolao II.* Propter Divinum Ministerium: nam Beneficium propter Officium. S. Hieronymus ad principium *Epistolæ ad Titum* indicare videtur hujus vocis originem, cum ait, jam suis temporibus Episcopos illud facere Beneficium, quod hos vel illos constituant Presbyteros. Sed forte vox illa, Beneficium, a civili politia translata est ad Ecclesiasticam: sicut enim prædia Romanis militibus assignata in præmium, Beneficia dicuntur apud Authores finium regundorum, illi dicuntur Beneficiarii apud Tertullianum *de fuga in persecut. cap. ult.* Erat etiam Commentarius aut liber eorum Beneficiorum apud eosdem Authores. Ita & cum Clerici a vita communi recesserunt, iis assignatæ sunt terrulæ, quibus victum suum procurarent, ait S. Paulinus in *Ep.* 21. *in fine*, & iis tantum datæ, qui de Ecclesia bene meriti erant, ait Symmachus Pontifex in *Ep.* 3. qui dicebantur Beneficiati, Matt. Paris. in *Henrico III.* & erant milites Christi passim apud Apostolum. Ac tandem ea prædia referebantur in Canonem seu Ecclesiæ tabulam, quæ dicitur hodie *le Pouillè des Benefices*, quod totum Ecclesiæ peculium contineat.

Quandonam vox illa Beneficium in Ecclesia prodierit, non satis constat. Sane in antiquis Ecclesiæ Gallicanæ Conciliis & in Capitularibus Regum nostrorum occurrunt Beneficia Ecclesiastica; sed sunt Ecclesiæ prædia, quæ vel Ecclesia, vel etiam Princeps, precariæ nomine quibusdam militibus dedit

dit ſub onere annui cujuſdam cenſus, ut ſuo loco videbimus fuſius, ſicque ab hodiernis plurimum differunt. Vox illa tanquam uſitata jam in eo ſenſu occurrit in *d. Aldegav. Concilio ad an.* 1050. Quandonam in ſingulos Clericos diviſa ſint Eccleſiæ bona, non ſatis conſtat, ut aliquid certi de ea re ſcribi poſſit: ejus obventiones aut reditus ſeorſim inſpicere juvat ab ipſis rebus ſoli. Jampridem diximus *lib.* 1. *tit.* 20. tum primum Clericos communem egiſſe vitam, & ſenſim ab ea receſſiſſe: iis aliquid vel in dies vel in menſes diſtribui ſolitum ex reditibus, eleemoſynis, & obventionibus Eccleſiaſticis: ea dicebantur ſportulæ, annonæ, præbendæ, obſequia diurna, ex quibus tantum conſtitebant, quæ hodie dicuntur Eccleſiaſtica Beneficia. Sed non ita facile deprehendi poteſt, quandonam diviſæ ſint res ſoli, puta prædia tam urbana quam ruſtica, & alia, quæ rerum immobilium nomine veniunt. Forte prima ejus diviſionis veſtigia occurrere videntur in *Concilio Agathenſi circa annum* 506. *Can.* 7. 22. 49. *& in primo Aurelian. Concilio ſub Clodoveo Mag. Can.* 23. in quibus terrulæ, mancipiola, vineolæ, Clericis ad vitam excolendæ traduntur ab Epiſcopis: ita tamen ut ab iis præſcribi nunquam poſſint. Quibus adde Symmachum Pontificem & S. Paulinum, de quibus ſupra. Ab iis initiis hodierna Beneficia excreverunt in dies, & diſtincta ſunt eorum dominia.

Ad quid & a quibus inſtituta ſint Beneficia, docet Innocentius III. *lib.* 1. *Decretal. Epiſ. Ep.* 82. Eccleſiaſtica Beneficia, inquit, pia Fidelium devotione

ne instituta sunt, certis assignanda personis, ut per eas devotum servitium jugiter in Ecclesiis impendatur. Sane in Ecclesia erant Canonici & Clerici, antequam essent Præbendæ, ait Guill. Paris. *lib. de Coll. & Plural. Benef. cap.* 9. Sed tamen rectissime Justinianus ait in *Nov.* 7. Ecclesias deseri, nec in iis Divinum celebrari Officium, nisi pro Clericis annonas habeant. Nec ex iis Innocentii verbis dicendum, a quibuslibet Fidelibus institui Beneficia: hoc solius Episcopi est, ut causa cognita decernat ex ea donatione facta Ecclesiæ institui aut erigi aliquod Beneficium. Nam Gregorius Magnus regulam hanc statuisse dicitur a Joanne Diacono in ejus *vita lib.* 2. *n.* 5. de non titulandis quibuslibet rebus, idest promiscue in Ecclesia instituendos non esse titulos. Ac tandem ut instituantur Beneficia, requirit Innocentius donatum esse pro Clericis ad devotum servitium: nam si quid Ecclesiæ donatum sit pro stipendiis, aut Advocati, aut Receptoris, aut Apparitoris, aut aliorum similium, ex ea donatione non erigitur Beneficium, & tamen res illa censetur Ecclesiastica, & eodem Jure habetur ac aliæ quælibet.

Aliquando Beneficium generaliter accipitur; & omnia vel etiam majora continet, ut puta Pontificatum, *cap.* 1. *ext. de Maled.* nempe in favorabilibus, cum aliqud fit, aut statuitur in utilitatem aut in favorem Beneficiorum, ut in *cap. pen. ext. de V. S.* Aliquando simpliciter; & minora tantum continet, ut in odiosis, puta in mandatis de providendo, *cap. ult. ext. de præb.* Et sic summa ea est Beneficiorum divisio, ut

alia ſint majora, alia vero minora: nec ita dicuntur a majori vel minori eorum reditu. Olim majora erant ab ordine, ut puta Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, qui tres erant majores ordines. Sed hodie majora dicuntur, quæ dignitatem aut perſonatum habent; minora, quæ nihil aliud annexum habent, præter minorem quandam adminiſtrationem; ideoque dicuntur ſimplicia, & a Magiſteriis Eccleſiarum diſtinguuntur in *cap. 2. de Cl. conjug. in* 1. *Coll.*

Olim dignitas in Eccleſia æſtimabatur tantum ratione Ordinis: unde apud Cyprianum honor Sacerdotii; & apud Gregorium Magnum, ubi de ordinatione, Deus dicitur honorum dator; ſed æſtimari cœpit ratione poteſtatis & juriſdictionis, quam Epiſcopi (nam hic de iis non agimus, utpote qui ſint apices omnium dignitatum) quibuſdam Clericis dare cœperunt, *Can. perlectis, §. hi ſunt ordines, diſt.* 25. Plurimum vero intereſt, an Beneficium aliquod pro dignitate habeatur, vel propter ætatem & qualitatem eorum, quibus conferatur, vel propter providendi modum, vel propter pluralitatem Beneficiorum. Rebuffus tres affert notas, quæ indicant quandonam dicatur dignitas. Prima & præcipua eſt juriſdictio, videlicet forenſis & publica, atque etiam præeminentia; & utraque concurrat neceſſe eſt. Quamvis enim Officialis Eccleſiaſticæ Juriſdictionis præſit; attamen non habet dignitatem; quia non habet præeminentiam, licet juri dicundo præſit: quod forte ita placuit propter illud Apoſtoli: Contemtibiles qui ſunt in Eccleſia illos conſtituite ad judicandum. Apud

Græ-

Græcos ut plurimum ἀρχοντίκια, dicuntur Officia Ecclesiastica, quæ sint cum jurisdictione & præeminentia, ut docet Balsamon ad *Can. 7. sextæ Synodi.* Secunda est fundatio, puta si Episcopus in alicujus Officii Ecclesiastici creatione aut institutione caverit illud pro dignitate haberi; hoc enim ab ejus voluntate pendere, docet Joan. Citiensis Episcopus in suis *responsis to. 1. Juris Orient.* Tertia est consuetudo, quæ facit ut Beneficium aliquod dignitatis loco sit in hac Ecclesia, non etiam in alia, *cap. 6. de consuet. apud Bonif.* Sicque cum varia sit & Episcoporum voluntas & consuetudo Ecclesiarum, idem Joannes ait, nihil fere certum definiri posse in dignitatibus Ecclesiasticis. Illæ autem proprie dicuntur, quæ in Cathedralibus Ecclesiis institutæ sunt: nec Collegialis Ecclesiæ Decanus dignitatem in Jure Canonico habet.

Sunt etiam majora quædam Beneficia, quæ tantum habent personatum. Aliquando quidem dignitas & personatus promiscue usurpantur: sæpius tamen ita distingui solent, ut ille solam habeat præeminentiam: tales sunt Decanus Collegialis Ecclesiæ, & Parochus, qui passim ideo dicuntur personæ suarum Ecclesiarum, vel quod eas repræsentent, vel quod in iis honorabilem statum habeant. Quamvis enim Parochus aliquam Jurisdictionem haber e videatur, attamen non habet contentiosam & extrinsecam, ex qua dignitates æstimantur; sicut Magistratus personam suæ Civitatis gerere dicitur. Minora & simplicia Beneficia nec dignitatem apud M. Tullium, nec per-

ſonatum habent, nec curam animarum. Sæpius dicuntur Baſilicæ in poſſeſſionibus poſitæ, apud Gregorium Magnum, & diſtinguuntur a Diœceſibus in *Can.* 18. *tertii Aurel. Concilii*, quæ ibi ſunt Paræciæ ruſticæ. Olim etiam fuerunt Diaconiæ paſſim apud Anaſtaſium Bibliot. & in Martyrologio Rom. Quædam Beneficia ſolis Acolythis conferri poterant apud Gregorium Magnum *lib.* 2. *Reg. Ep.* 19. & alia quæ minores tantum habebant Clericos apud Hincmarum in *Capitulis cap.* 7. Et hinc fluxiſſe videntur hodierna Beneficia ſimplicis tonſuræ; tales ſunt Capellæ, ſimplices Prioratus, & Canoniæ Præbendales.

Ex iis omnibus Beneficiis quædam deſiderant reſidentiam; quædam non deſiderant. In Eccleſia reſidere, eſt per ſe ipſum in ea pſallere Nocturna & Matutina & Veſpertina, *l.* 42. *in fine, Cod. de Ep. & Cl. in ultima Editione Gothofredi*; ejus aſſiduum & debitum præſtare miniſterium. Non reſidere, eſt eam ejuſve miniſterium deſerere, ab ea per licentioſam libertatem abeſſe, ait S. Aug. in *Ep.* 138. Ex antiquis Canonibus omnes omnino Clerici reſidere tenebantur in iis Eccleſiis, ad quas Ordinati erant, juxta illud Apoſtoli: Unuſquiſque in ea vocatione remaneat, in qua vocatus eſt. Jurabant ſtabilitatem, ut olim diximus. Jurabant ſe in iis locales futuros; *Can. ult. Valentini Concilii*; ſed ſenſim fluxit ea Beneficiorum diviſio, ut alia reſidentiam deſiderent; alia vero non. Eam non eſſe a Conſtitutione ſeu Canone, nec a fundatione; ſed ex longa conſuetudine, & ex malitia Clericorum uſurpatam eſſe, ait Guill.

Pa-

Pariſ.in *lib.de Collat.& Plural.Benef. cap.* 14. Et tamen ſi verum amamus, illi ipſi Canones occaſionem dederunt huic diſtinctioni. Cum nempe voluerunt, eundem Clericum in pluribus Eccleſiis intitulari poſſe; ſi quidem minores ſint, nec ad eum exhibendum ſufficiant, *Can. Sanctorum*, *diſt.*70. Reſidentiam deſiderant curata Beneficia, quibus nempe annexa eſt animarum cura, quales ſunt Epiſcopales & Præciales Eccleſiæ, & aliæ quibus annexa eſt animarum cura. Ac forte verior eſt ſententia Gallicanorum Præſulum in Trid. Concilio, in Paſtoribus eam eſſe Juris Divini. Nec obſtat, quod aliquando ab ea reſidentia excuſentur, quod Jus Divinum non patitur. Nam ſacri Canones definire potuerunt, quandonam Paſtores reſidere intelligantur vel non, quia hoc eſt Juris poſitivi: ſicut in Ordine & Matrimonio addiderunt quaſdam regulas, ſolemnitates, & cœremonias de loco, de perſonis, & de tempore.

Simplicia Beneficia reſidentiam Jure communi non deſiderant, exceptis Canoniis. Cum enim Canonici Divinis cultibus mancipati ſint, *Can.* 145. *Aquisgran. Concilii ſub Ludovico Pio*, & ideo dicantur Canonici, quod regulas & horas Canonicas ſe arctius obſervare velle promiſerint, ait Ivo Carnot. in *Ep.*93. ſummopere ſtudeant eas vigilantiſſima cura cuſtodire, & in ſuis Eccleſiis Divinum Officium humiliter ac devote perſolvere, ut eſt in *Can.* 131. *ejuſdem Concilii*: paſſim quidem jubent Pontifices, ut Canonici reſidere moneantur ſub pœna privationis Præbendarum, ſi poſt trinam monitionem non reſideant. Sed

in Gallia privantur quidem fructibus, non etiam titulo Præbendarum. Ejus consuetudinis jam olim meminit Stephanus Tornac. in *Epist.*8. Aliquando etiam simplicia Beneficia residentiam desiderant, puta ex fundatione, & ipsissimis verbis in ea imposita sit necesse est, alioquin non præsumitur imposita, cum sit contra eorum naturam.

Denique alia sunt secularia, alia regularia, prout vel secularibus vel regularibus Clericis assignata fuerint, quod ex ipsa fundatione pendere, ait Glossa *Pragm. Sanct. ad tit. de Collat. §. is Ordo.* Quod si ea desit, & dubitetur de alicujus Beneficii natura, dicendum est illud esse seculare, cum primus Clericorum status secularis fuerit.

TITULUS XVI.

De Collatione Beneficiorum.

EClesiasticum Beneficium licite sine Canonica institutione obtineri non potest, *cap. 1. de Reg. Jur. in sexto.* Ea nihil aliud est, quam Canonica Collatio, quæ ut talis sit, pleraque desiderat. Primo ut facta sit ab habente potestatem, ideſt ab eo, qui potestatem conferendi habeat. Quod Molinæo primum verum & solum est fundamentum cujuslibet Collationis; & vicissim præcipua ejus nullitas ea est, quæ oritur ex defectu illius potestatis. Sicut enim in Civili Politia sunt Comites sacri Patrimonii, sacrarum largitionum, rerum privatarum, qui nempe om-

omnia illa Imperatorum bona administrant:ita & Ecclesia quosdam Prælatos instituit, qui bona sua Clericis concedere possint, & voluit ut illi soli ea licite obtineant, qui ab iis Prælatis ea Jure acceperint.

Quidam volunt, ab ipsius nascentis Ecclesiæ temporibus omnia orbis Christiani Beneficia fuisse in dispositione Rom. Pontificis; quasi primus ea instituerit & distribuerit (qua sola ratione innititur hodierna ejus præventio in quoslibet Ordinarios)Sed hoc nihili est, nam in Gallia statim atque Clodovæus Magnus Christianam Religionem amplexus est, 1. *Aurelian.Concilium in Can.omnes Basilicæ* 16. *qu.*7. statuit, ut omnes Ecclesiæ & omnia earum bona sint in potestate & dispositione Diœcesanorum Episcoporum: quod omnino conveniebat cum Canonibus Apostolorum, & aliis bene multis. Unde passim dicuntur Collatores Ordinarii, ad quos Jure communi pertinet Collatio Beneficiorum, quæ in eorum Diœcesibus posita sunt, *cap.*3. *ext.de Instit.* Et constat ex omnibus antiquis Canonibus, eos solos dispensatores fuisse obventionum Ecclesiasticarum, ex quibus tantum consistebant olim Ecclesiastica Beneficia. Quidam tamen vel etiam inferiores Clerici quorundam ex iis Collationem habere possunt, vel ex eorum fundatione,vel ex singulari privilegio,& concessione, ut in *cap.*15. *ext.de off.& pot.Jud.del.* Antequam vero ab ea Rom. Pontificis potestate in aliena & remotiora Beneficia divertamus; nulli forte antiqui Canones eam norunt.Gregorius Magnus ad ea manum extendisse videtur, solo suggerente pietatis

& charitatis zelo. Et ut ejus in ea re disciplina innotescat, observandum est, ejus temporibus Ecclesiam Romanam per universum orbem Christianum plures & magnas habuisse possessiones, in quibus plures erant Ecclesiæ. Gregorius & per se ipsum & per Defensores Apostolicos iis vacantibus Ecclesiis providebat, non tantum in suo primatu, puta in Italia; sed etiam in aliis Provinciis & in ipsa Gallia, ut palam est ex ejus *Ep.*65. *lib.*9. *reg.* Sed nunquam dici posse crediderim,cum ita jus Patronatus habuisse in iis Ecclesiis, cum de iis pleno Jure disponeret. Aliquando etiam Diœcesanos Episcopos movebat & rogabat,ut quasdam Ecclesias ad eorum Collationem pertinentes conferrent Commendatis quibusdam Clericis.Nec illud erat Jus Patronatus; sed ab eo usu semper existimavi repetendam esse originem mandatorum Apostolicorum, quæ tandem odiosa esse cœperunt.

Secundo, ut Beneficium vacet, idest, ut in eo non sit titularis Clericus, qui jure illud teneat,*cap.*1. *ext.de præscript.*Semper enim prohibuerunt sacri Canones, ne Beneficia conferantur, aut etiam promittantur, antequam vacent, ne ita inducatur votum captandæ mortis alienæ,*cap.*2.*ext.de conces.præb.*Romani Pontifices diutius existimarunt, jus illud sibi tantum competere, ut Beneficia proxime vacatura conferre aut promittere possent: unde tot Mandata de providendo, quæ dicuntur gratiæ expectativæ: sed tandem abrogatæ sunt, ita ut non aliæ supersint, quam quæ Graduatis & Indultariis conceduntur.

Cum vacant Beneficia, Sacri Canones ea diu

va-

vacare non permittunt. Olim conferenda erant intra tres menſes, Gregorius Magnus *lib. 6. Reg. Epiſt. 38. Can. 24. Synodi Rom. ſub Eugenio III.* Sed Alexander III. in *d. cap. 2.* ſtatuit, intra ſex menſes omnia conferri, & pœnam illam addidit, ut negligens Epiſcopus poſt elapſum illud tempus, pro hac vice, amittat hujus vacantis Beneficii Collationem, eaque ad proximum ſuperiorem, puta Metropolitanum devolvatur, qui ſex alios menſes ad conferendum habeat: eo etiam negligente, ad Primatem; & ab eo ad Summum Pontificem. Alexander III. eam devolutionem accepiſſe videtur a Juſtiniano in *Nov. 123. cap. 1.* Et forte Gregorius Magnus eo etiam jure uſus eſt in multis Regeſti ſui Epiſtolis. Quod ſi Epiſcopus, elapſis ſex illis menſibus, contulerit, ipſo jure nulla eſt ea Collatio, quaſi a non habente poteſtatem facta, cum ea privatus ſit. Eo jure utimur hodie, ut Summus Pontifex omnes Collatores Eccleſiaſticos in conferendis vacantibus Beneficiis prævenire poſſit, vel etiam in eo tempore, quod eis competit ad conferendum: eoque caſu non devoluto jure confert, ſed ordinario, cum dicatur Ordinarius Ordinariorum.

Tertio deſideratur, ut collatio fiat idoneo Clerico. Et primum quidem Clerico: nam ſolis Clericis Beneficia debentur. Atque ita ut ſi laico fiat, qui ſtatim ordinetur Clericus, irrita ſit, quia quod ab initio non valuit, poſtea conferri non poteſt; ſed & deſideratur idoneus Clericus, qui qualitates omnes habeat, quæ requiruntur ad illud Beneficium, & generales

nerales, puta ut ſit Clericus, quidigne poſſit opus Dei exercere, *Can.5. diſt.23.* quod requiritur tempore ipſius Collationis; & ſimplices, puta ut ſit Sacerdos, ſi quidem illud Sacerdotale ſit; ac plurimum intereſt an tale ſit a Canone, puta ſi ſit Paræcialis Eccleſia: tunc enim qualitas illa non ſtatim requiritur tempore Collationis, ſufficit ſi Clericus ille ſit qui intra annum Sacerdos fiat, *cap.licet 14. de El.in ſexto*; an a fundatione, quod nempe Fundator nominatim caverit, eum eſſe Sacerdotem, cui ſuum illud Beneficium conferatur; tunc enim qualitas illa omnino deſideratur tempore Collationis. Vide adhuc titulo ſequenti.

Ut etiam Clericus dicatur idoneus, tria omnino deſiderantur, ætas, qualitas, & ordo. Unde titulus de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum. De ætate quædam attigimus, *lib.1.tit.*10. Olim eadem erat pro Clericorum Ordinatione, ac pro Collatione Beneficiorum: cum utraque ſimul fieret, nec conferri poſſet ordo, quin ſimul Ordinandus addiceretur alicui Eccleſiæ; ſicque dicendum eſt ætatem & ordinem deſiderari conferendo Beneficio convenientem. Eo Jure utimur in Gallia, ut Capellæ, & alia id genus ſimplicia Beneficia, conferri poſſint ſtatim poſt Infantiam ſeptimo ætatis anno: quod non multum abeſt ab antiqua diſciplina Siricii & Zoſimi, de qua *ibid.* Præbendæ Collegialis Eccleſiæ anno decimo, & Cathedralis decimo quarto: Paræciales Eccleſiæ & omnes fere dignitates completo ætatis anno vigeſimo quarto. Ut Collatarius intra annum Presbyter ordi-

nari

nari possit. Lateranen. Concilium sub Alexandro III. statuit, neminem Curata Beneficia vel Paræcialis Ecclesiæ regimen suscipere posse, nisi qui jam 25. ætatis annum attigerit, *cap. cum in cunctis 7. §. inferiora, ext. de Elect. & Elect. pot.* Addit Innocentius IV. in suo Lugdunensi Concilio, Collationes Paræcialium Ecclesiarum, quæ fiant iis, qui nondum attigerant eum annum, viribus omnino carere; & annum illum numerat a die commissi regiminis, seu a tempore collationis.

Nec quidquam iis prodest, quod Summus Pontifex cum iis dispensaverit, ut anno ætatis vigesimo tertio Sacerdotes ordinari possint, quasi ex ea dispensatione & ordinatione capaces esse incipiant Paræcialium Ecclesiarum, quæ Sacerdotium desiderant. Nam utrumque laudatum generale Concilium, non modo petit eum ordinem Presbyteratus, sed ætatem anni vigesimi quarti completi; & decretum illud irritans eamve nullitatis pœnam adscribit hujus ætatis defectui, decernens Collationes de Paræcialibus Ecclesiis, faciendas iis qui non attigerint vigesimum quintum ætatis annum, viribus omnino carere. Præterea dispensatio est stricti Juris, & contra Juris Communis regulas; unde non producitur extra casum. Eleganter etiam D. de Selva docet, dispensationem extendi tantum ad ea, quæ consecutiva sunt, non etiam ad alia, quæ sequuntur: puta dispensatio ad obtinendam Paræcialem Ecclesiam, extenditur ad ordinem Sacerdotii accipiendum, quia qui obtinet eam Ecclesiam, debet se facere promoveri ad eam Jure tenendam.

nendam. Sed qui dispensationem habet ad ordinem, necessario non tenetur obtinere Paræcialem Ecclesiam, cum absque ea exequi aut exercere possit eum ordinem.

Desideratur adhuc qualitas, id est vitæ morumque probitas. S. Ambrosius in *primam ad Timotheum*: Cavendum est, inquit, ne facile quis accipiat Ecclesiasticam dignitatem, nisi prius de vita ejus & moribus fuerit disputatum, ut dignus approbetur Minister, aut Sacerdos constituatur. Et ideo *Calchedon. Concilii* Patres *in Can.* 10. prædicari voluerunt Ordinandum, ut quilibet in ejus mores, vitam, & conversationem objiceret. Quod etiam Alexandrum Severum exemplo Christianorum in suis magistratibus observari voluisse, ait Lampridius.

Illiteratis conferenda non sunt Ecclesiastica Beneficia, *Can. Illiteratos, dist.* 36. & *cap.* 1. *ex. de Conces. Præb.* Juxta illud Oseæ *cap.* 4. Quia scientiam repulisti, ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Nec tamen desideratur scientia eminens, toleranda est competens, ait Pontifex in *cap.* 10. *ex. de renunt.* seu collato Beneficio conveniens. Quare cum distincti sint gradus in ministris Ecclesiasticis, non una in omnibus mensura scientiæ desideratur, Trident. Concilii *Can.* 2. *sess.* 2. *de reform.*

Neque idoneus est adhuc ille Clericus, qui jam Beneficiatus est, nec amplius deservire potest in alia Ecclesia, *cap.* 35. *ext. de præb.* sæpius enim Sacri Canones prohibuerunt pluralitatem Beneficiorum, & quod turpis lucri cupiditatem sapiat, quam in Cle-

Clericis condemnat Apoſtolus,& quod ſit contra reſidentiam, cui ſemper favent; & quod ſit contra voluntatem Fundatorum, qui volunt certos habere Clericos,ut Divinum Officium celebrent in ſuis Eccleſiis,inquiunt Innocentius III.& Guillelmus Pariſ. Sane antiqui Canones non ita præciſe prohibebant pluralitatem Beneficiorum, nondum enim diviſa erant: Sed ne quis in duabus Eccleſiis conſcriberetur, ut tanquam in earum matricula conſcriptus ab iis omnibus annonas acciperet, quod nihil aliud eſt, quam ne quis plures habeat Eccleſias.Alexander III. in *cap.15. de præb. in 2.Coll.* Gallic. Eccleſiam perverſæ illius conſuetudinis accuſat,& ait ſe eam emendare non poſſe, tum vero potiſſimum quod contra eam peſtem nulla temporalis pœna inſtituta eſſet.

Unde in ſuo Lateran. Concilio ſtatuit, ut qui duas haberet dignitates aut Parœcias, ſecunda privaretur, ſeu ea quam ſecundo loco adeptus fuerat, quia eam accepit contra Sacros Canones, *cap.3. ext. de Cl. non reſid.* Quod omnino convenit Canoni decimo Calchedon. Concilii, in quo Clericus ad priorem Eccleſiam revocatur & redire compellitur. Sed cum ea Conſtitutio Alexandri III. eave pœna nullum pareret fructum,ut poſtea dixit Innocentius III. in *cap.de multa 28. ext. de præb.* Ille ipſe Alexander ſtatim ab ea receſſit, & voluit ut ille Clericus optare teneatur, quam retinere velit, & aliam dimittere, *cap.4. de æt. & qual. ordin.in 2. Coll.* Cumque in eo meminerit ſui Lateran. Concilii, & illud exequatur, neceſſario dicendum eſt ab eo inſtitutam

fuiſ-

fuiſſe illam optionem poſt illud Concilium. Et hoc a jure civili accepit, ex quo ſi quis in duobus Collegiis fuerit, eligere debet in quo magis eſſet velit, *l.1. in fin. d. de Coll.& Corp. Ill.* Si quis duas habeat militias, eligere debet quam retinere, aut in qua militare velit, *l.5. Cod.qui mil. poſſ.* Nec enim duabus ſimul ſupereſſe poteſt. Vel etiam ejus optionis exemplum deſumere potuit a Gregorio M. *lib.3.reg. Epiſt.11.* cujus meminit Joan. Diaconus in ejus vita *lib.2. cap.54.*

Ea optione vel etiam poſt ſuum illud Concilium præcipue uſus eſt in Gallia, ut palam eſt ex *cap.4. ext. de ætat. & qual.* ex *cap.7. & 14. ext. de præb.* ex *cap.15. ibid. in 2. Coll.* Quæ omnia pertinent ad Gall. Eccleſiam. Sed & ille ipſe Innocentius III. ea uſus eſt in eadem Eccleſia *lib.1. Decret. Ep.82.* & Honorius III. in *cap.3. de Conſ. ut. vel inut. in 5. Compil.* & Clemens IV. natione Gallus apud Platinam. Eaque omnino indicant male Joan. Andræam & Janum a Coſta exiſtimare, optionem illam ab Alexandro inſtitutam fuiſſe, pro beneficiis ante Concilium quæſitis, quaſi temperamentum illud adhibere voluerit: nam reſcripta illa eorum Pontificum ſunt de Beneficiis poſt Concilium quæſitis, & tamen optio in iis ſervatur.

Poſt Alexandrum Innocentius III. in ſuo generali Concilio ſtatuit, ut ille Clericus priori Eccleſia ipſo jure privetur, *d.cap.28.* quaſi renuntiaverit priori, cum ſecundam accepit: aut quaſi cum Eccleſia ſecundam ei concedit, omnino velit ut a priori recedat;

cedat : quod propius accedere videtur ad mentem tertii *Aurelian. Concilii Can.* 18. Et tamen Eccleſia Gall. optionem retinuit, & adhuc hodie ſervat: quod ita forte contigit, quia cum prior Alexandri Conſtitutio nullum pareret fructum, ut diximus, & Eccleſia illa non ſatis probaret eum Innocentii Canonem, ut innuit Guillelmus Pariſ. *lib. de Coll. & Plur. Benef. c.* 13. *&* 14. tum quod contra ſacros Canones ſecundam Paræciam alicui conferri pateretur ; tum quod plures hujuſmodi Eccleſias ab eodem teneri poſſe vellet ex diſpenſatione Apoſtolica (quod quomodo in malam partem acceptum fuerit videndum ex Math. Pariſ. in *Henrico III. ad an.* 1235. *circa fin.*) optionem illam ſuis Patribus probatam ea Eccleſia retinere maluit,

Circa eam obſervandum eſt. Primo, ut Diœceſanus Epiſcopus eam deferat huic Clerico, eumque ter moneat ut optet; ſi poſt trinam hanc monitionem optare nolit, eum condemnare debet ad optandum intra certum tempus, quod in ſententia exprimatur, Si ſit adhuc contumax, utraque privandus eſt, ut innuere videtur Gloſſ. *pen. ad d. cap* 4. *de æt. qual.* Et Ordinarius utramque conferre poteſt quaſi vacantem. Secundo, ex iis Alexandri III. reſcriptis optio illa obtinet tantum in Dignitatibus & Paræciis. Innocentius III. in *d. Ep.* 82. eam produxit ad perſonatus: ſed locum non habet in ſimplicibus Beneficiis; nam plura poſſideri poſſunt abſque ulla diſpenſatione: nec in ſimplici & Curato, quod utrumque ſimul etiam poſſideri poteſt, *cap.* 6. *de præb. apud Boniſ.*

Imo

Imo nec in duabus præbendis : ea enim eſt generalis conſuetudo Eccleſiæ Gallic. ut duæ Præbendæ in duabus Eccleſiis ſimul obtineri poſſint, §. *Volumus, de Collat. in Pragm. Sanct.* Antiquum ejus rei exemplum videre eſt in hiſtoria Gaufredi ducis Norm. *lib.* 1. Nec opus eſt diſpenſatione, ait Rebuffus, & addit eam pœnam, ut qui officio Divino non interſit, majores tantum fructus capiat, non etiam quotidianas diſtributiones.

Denique locum non habet optio, niſi Clericus ſecundæ dignitatis aut Paræciæ, poſſeſſionem per ſe aut per Procuratorem apprehenderit, eamque pacificam habeat : nam in utroque Jure, accipere, non eſt niſi cum effectu ; & pacificam hanc poſſeſſionem habere intelligitur, ſi per annum integrum utramque illam Eccleſiam abſque lite poſſederit, ait Gloſſa *Pragm. Sanct. ad tit. de pacif. poſſ.* §. 1.

TITULUS XVII.

De Jure Patronatus.

CAnonici Juris Interpretes duplicem faciunt Collationem Beneficiorum, ut alia ſit libera, alia neceſſaria. Liberam vocant, cum Ordinarius vacans Beneficium conferre poteſt cui velit, dummodo ſit idoneus. Neceſſaria eſt, cum Ordinarius illud non alteri conferre poteſt, quam ei quem Patronus præſentaverit. Ad eam pertinet titulus de Jure Patronatus. Illud eſt Jus, quod Fundatori alicujus Eccleſiæ

ſiæ in ea competit. Multis conſtat,puta præſentatione Clerici,ut ille habeat omnia Jura honorifica in ea Eccleſia , ut ſi redigatur ad inopiam , ex ejus bonis alatur, ut ea gubernentur ex ejus conſilio ; ſed præcipua eſt ea præſentatio,ideoque ſimpliciter aliquando ea dicitur Jus Patronatus .

Antiquiſſimum eſt : nam & ab initio quinti ſeculi jam valde honorati ſunt Fundatores Eccleſiarum, apud S.Paulinum, Sydonium Apollin. & alios ejus ætatis . Clerici præſentatio iis conceſſa eſt in *Can.*10. *primi Arauſicani Concilii* : ab Imp. Zenone Jus illud iis datum,ut Eccleſiæ bona gubernentur ex eorum conſilio, in *l.*15. *Cod.de Sacroſ. Eccleſ.* quæ omnia confirmavit Juſtinianus in *Novellis.*

Ideo Fundatores Eccleſiarum appellati ſunt Patroni, quod nomen illud indicat eos fuiſſe Dominos eorum, ex quibus fundata eſt Eccleſia ; ſicut Dominus,qui ſervum ſuum manumiſit,dicitur ejus Patronus; ſicut in libris feudorum Dominus & Patronus promiſcue uſurpantur : hinc Molinæus Jus Patronatus vocat reliquias priſtini dominii . Nomen illud quaſi uſitatiſſimum occurrit in Capitulis Hincmari ſub Carolo Calvo.

Introductum eſt ex virtute gratitudinis & retributionis , *Can.*37. *quarti Tolet.Concilii*, & apud Guillel.Pariſ. in *lib.de moribus cap.*9. Cum enim Fideles bona ſua certatim erogarent ad ædificandas Eccleſias , SS.Patres exiſtimarunt iis deberi Beneficiorum vices , ait Joan. de Pariſiis ſub Philippo Pulchro,in *lib.de poteſtate Papali & Regali,cap.*21.& in

eorum monumentum jus illud Patronatus haberent.

Illud ex se temporale est, spirituali annexum, *cap.3. ex. de Judic. cap.16. ext. hoc tit.* Nam oritur ex re temporali & prophana, quam Fundator Deo dicavit, & aliquam societatem habet cum Ecclesia. Vel ut addit S. Thomas, ordinatur ad spiritualia, puta ad præsentationem idonei Clerici, ut Beneficium Ecclesiasticum habeat. Locum habet in omnibus Ecclesiis, atque etiam in Capellis & Oratoriis, dummodo Canonice constructa sint, Gratianus passim *causa 16. q.7.* id est ex permissione & decreto Diœcesani Episcopi. Et hinc si quis in sua potestate præstimoniam habeat, seu Capellam nondum Episcopali decreto constitutam, pleno Jure suo eam dare potest, nec opus habet Episcopo, quia nondum ea est Beneficium Ecclesiasticum.

Duobus præcipue modis acquiritur; constructione vel dotatione Ecclesiæ: verius enim est illud non acquiri solius fundi datione, in quo constructa sit Ecclesia, *cap.3.ext.de Eccl.ædif.* Nec ullus est Juris Canonici locus, qui Jus illud competere doceat ex ea sola datione; & in eo Fundatores proprie non alii sunt, quam constructores, aut dotatores Ecclesiarum. Iis modis ipso Jure acquiritur, ideſt, ex sola constructione, vel dotatione, quamvis Fundator in suæ fundationis tabulis Jus illud sibi præcise non reservaverit, *cap.nobis 25. ext.hoc tit.* Tum quia ordine Juris & rationis competit, *Can.2.Tolet.Concilii noni.Can. Rationis 16. qu.7.* Tum quia quod leges aut Canones nobis concedunt, illud nobis ipso Jure competit,

Ac

Ac tandem sicut is,qui pecuniam credidit ad reficiendam domum , ipso Jure ,in eam habet privilegium , quia authoritate constituentium illud ei datum est , *l.5. ff.qui pot.in pig.hab.* Ita & qui ædificavit Ecclesiam, hoc ipso habet in ea Jus Patronatus , quod leges & Canones illud ei concedant: unde illud etiam habet ipso Jure , idest suo & summo Jure , non etiam ex mera gratia & munificentia Ecclesiæ . Non opus est ut Ecclesia illud ei concedat,illud sibi habet quasi reliquias pristini dominii, & ad heredes suos transfert, ac proinde non est a singulari gratia.

Cum Jus illud primo introductum fuit, unum erat iisdem legibus & regulis constans , quicumque tandem illud haberet . Sensim plures institutæ sunt differentiæ inter Patronos Laicos & Ecclesiasticos . Antiquissimum est earum initium ex *Can. 15. octavæ Synodi* , quem male Gratianus adscribit sextæ in *Can. Apostolicos* 12.*q.*2.Alexander III.in *cap.4.ext.de off. Jud. ord.* & alii Pontifices , atque etiam Veteres Canonici Juris Interpretes,sensim varias introduxerunt . Ex iis prodiit summa illa divisio Juris Patronatus,in Laicum & Ecclesiasticum . Nec utrumque æstimatur ex persona ejus, qui illud habeat ; nam & Clericus laicum habere potest . Hoc dicitur , quod alicui competit vel ratione sanguinis , si fundator illud adscripserit iis,qui sint ex sua gente , vel familia ; vel ratione patrimonii , si cuidam fundo, ut qui sit ejus Dominus, Jus Patronatus habeat . Ecclesiasticum dicitur , quod alicui competit ratione illius Ecclesiæ quam tenet, quæque aliam Ecclesiam ex

ſuis bonis fundavit. In dubio Jus illud præſumitur laicum: omnia enim Beneficia vulgo cenſentur a laicis fundata, ait Guill. Benedicti, ad *cap. Raynutius, ext. de Teſtam.*

Præſentatio idonei Clerici eſt præcipua pars Juris Patronatus, ut nempe Patronus eum alicui præſentet ad obtinendum vacans Beneficium. Omnes autem ſacri Canones volunt, ut Patronus Clericum Diœceſano Epiſcopo præſentet: ei nempe in cujus Diœceſi conſtitutum eſt vacans Beneficium, *Can. 1. 16. q. 3. Can. Decernimus, Can. Monaſterium* 16. *q.* 7. quia Jure communi omnes Eccleſiæ ſunt in ejus Ordinatione, *Can. omnes Baſilicæ, ibidem.* Senſim tamen invaluit, aliis etiam inferioribus Prælatis præſentari poſſe, *cap. ſuper eo* 15. *ext. de off. & pot. Jud. del.* dum nempe Fundatores eos in fundationis ſuæ tabulis exprimunt, iiſque inſtitutionem ſui Clerici addicunt: quod hodie obſervatur in Gallia contra Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 14. *de reform. cap.* 12. *in fine*.

Præſentandus eſt idoneus Clericus, id eſt, qui & generales habeat qualitates, puta quod ſit Clericus tempore præſentationis, & ſpeciales, ideſt eas quæ Beneficii naturæ conveniant, & ipſi fundationi: Eas etiam habere debet præſentationis tempore, niſi a Fundatore addictum ſit Beneficium certo generi perſonarum, puta proximioribus agnatis: quo caſu adeſſe debet ea qualitas, tempore vacationis, ſeu quo vacat Beneficium.

Ut Patronus ſuo illo præſentandi Jure utatur,

Be-

Beneficium vacet necesse est. Illud a collatione ad præsentationem productum fuit ab Alexandro III. in *cap.*39. *de appellat. in* 1. *collect.* & in *append. sui Lateran.Concilii sub hoc tit.* Ne Patronus captandæ mortis alienæ occasionem tribuat, si præsentaret ad Beneficium non vacans.

Ejus præsentationis effectus ille est, ut Ordinarius præsentato Clerico vacantem Ecclesiam conferre, eum admittere & instituere teneatur in ea Patronata Ecclesia. Carolus Magnus, & Carolus Calvus in suis Capitularibus illud habent nominatim. Si Ordinarius præsentatum Clericum & quidem idoneum instituere nolit, ad id a Summo Pontifice cogitur per suspensionem a Collatione Beneficiorum, ait Innocentius III. *lib.*3. *Reg.Ep.*41. & ab ea necessitate illius Collationis præsentatio dare dicitur Jus ad rem, ideſt, ad petendum & obtinendum vacans Beneficium.

Denique olim omnes Patroni tres tantum menses habebant ad præsentandum; nec enim Canones patiebantur ultra illud tempus vacare Beneficia. Sed cum Alexander III. sex menses Collatoribus dedit, eosdem etiam Patronis omnibus dediſſe videtur, *cap.*22. *ext. hoc tit.* Statim vero veteres Canonistæ differentiam illam introduxerunt, ut Patroni Ecclesiastici haberent sex menses, & laici quatuor. Eam confirmavit Bonifacius VIII. in *cap.*1. *hoc tit.in sexto*. Ordinarius intra illud tempus conferre non potest absque præsentatione Patroni; aut si contulerit, irritanda est ejus Collatio, *cap.*8. *ext. hoc tit.* Sed post

elapſum illud tempus, ſuo & ordinario Jure confert, non etiam Jure devoluto: tum quia Jus conferendi nunquam Patrono competiit, tum quia nullus eſt Juriſdictionis gradus inter Patronum & Ordinarium.

TITULUS XVIII.

De Renuntiatione, & aliis amittendorum Beneficiorum modis.

TOtum Jus vel in acquirendo conſiſtit, vel in conſervando, vel in amittendo, *l. ult. d. de legib.* De acquirendo Beneficio actum eſt, nunc de amittendo. Primus amittendi Beneficii modus eſt mors titularis Clerici: & ille verus eſt, naturalis, & ordinarius; ita ut poſt eam quilibet ejus heredes illud ſibi vindicare non poſſint, ne ſanctuarium Dei hereditario Jure poſſideatur.

Secundus eſt renuntiatio. Ea eſt ceſſio ſeu dimiſſio Beneficii Eccleſiaſtici, quæ ſponte & libere fit, cum conſenſu & authoritate Superioris. Antiquis Canonibus incognita erat. Imo & Epheſini Concilii Patres in *Epiſt. ad Pamphyliæ Synodum*, S. Cyrillus ejus Concilii Præſes, in *Epiſt. ad Domnum, cap.* 3. Petrus Alexandrinus in *ſermone de pœnitentia, cap.* 10. *apud Balſamonem* docent, eam eſſe omnino contrariam Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Utramque hanc rationem afferunt. Et quia cum ſemel alicui tradita eſt Sacerdotalis cura, huic totis viribus inſiſtere debet,

bet, nec gregem Domini relinquere poteſt: Et quia Ordinati Clerici vel digni ſunt vel indigni; ſi quidem digni fuerint, in eo remanere debent in quo vocati ſunt, & imitari Apoſtolos, ex quibus nullus omnino gregem Domini reliquit; ſi vero indigni fuerint, non merentur renuntiationis Beneficium; ſed ex delictis condemnandi ſunt, & turpiter ejiciendi.

Ex Latinis Patribus & Canonibus duplex ea ratio afferri poteſt. Prima eſt, quod ex iis Clerici ſtabilitatem in ea Eccleſia jurent, ad quam ordinantur: altera eſt, quod cum ea ſpirituale conjugium contrahant, quod diſſolvere non poſſunt. Et hoc ita obtinebat olim, ut ſi reliquiſſent, ad eam quaſi fugitivi redire compelleretentur cenſuris Eccleſiaſticis, *Can. non oportet*, *Can. Si qui vero* 7. *qu.* 1. Vel ut aſſerit Syneſius in *Ep.* 67. *circa fin.* Iis omni Eccleſia interdiceretur, qui renuntiarent ſuis Eccleſiis.

Sed ſenſim & conniventibus oculis admiſſa eſt renuntiatio, ſi quidem ex juſta cauſa fiat, *cap.* 10. *ext. hoc tit.* & ex ſumma utilitate Eccleſiæ, ita ut trahi non poſſit ad conſequentias, ait Balſamon. Sub Alexandro III. frequentior eſſe cœpit, quod faciliores eſſent Prælati ad eam recipiendam, ait Joannes Sarisber. ejus æqualis, in *Epiſt.* 56. Et hinc non alius antiquior Pontifex de iis agit in libris decretalium; quamvis in antiqua hiſtoria Eccleſiaſtica, quædam admiſſæ occurrant renuntiationes Epiſcopatuum.

Ut renuntiatio valeat, ſponte & libere facta ſit neceſſe eſt. Unde ſi vel vi, vel metu, vel dolo malo facta ſit, revocari facile poteſt, *cap.* 5. *ibid.* Addi-

tur cum consensu & voluntate superioris: sicut enim legitimi tutores tutela se abdicare non possunt, sed tantum eam in Jure cedere apud Magistratum, Ulpianus *tit.* 11. Ita nec Clerici renuntiare suis Beneficiis absque authoritate Superioris, qui conjugium illud dirimat. Ille dicitur, ad quem Jure communi eorum collatio pertinet, *cap.*4.*ibid.* Et quandiu eam resignationem non admiserit, nihil agitur, ait ibi Pontifex. Idest nec resignans amittit suum Beneficium, nec resignatarius ea resignatione uti potest. Et hoc adeo verum est, ut quamvis facta sit in manibus Patroni, ea tamen nihil etiam agatur, *Can. Gonsaldus* 17. *q.*2.

Renuntiatio vel tacita, vel expressa est: tacita, quæ potestate Canonis inducitur, puta si secularis Clericus monachismum profiteatur, aut legitimum matrimonium contrahat, suis Beneficiis renuntiasse præsumitur: sicut & si Paræcialem Ecclesiam adeptus intra annum non fiat Presbyter. Expressa, cum Beneficiatus Clericus suas renuntiationis Literas Superiori offert, & ab eo petit ut eas admittat, *cap.* 1. *ext.hoc tit.* Ea vel est pura,& simplex, vel conditionalis. De prima tantum agitur in hoc *tit.Decretal.de renunt.* Quia cum renuntiatio sit actus legitimus seu valde solemnis, nec diem, nec conditionem recipit, *l.actus, d.de reg.Jur.* Et ita Urbanus in *Ep.* 1. apud Ivonem Carnot. ait Gaufridum Carnot.Episcopum suo Episcopatui renuntiasse absque tenore cujuslibet conditionis. Et Innocentius III. in *cap.*7. *ext.de rer.perm.* ait Clericum absque ulla conditione

re-

reſignaſſe ; ut doceant Canonicam renutiationem de præſenti vires habere debere , non etiam pendere ab alicujus conditionis eventu.

Invaluit tandem, quaſdam conditiones adhiberi poſſe reſignationibus, & ita ex iis quaſdam eſſe conditionales. Frequentior ea eſt, quæ dicitur hodie reſignatio in favorem : & ſub ea conditione fit , ſi Clericus a reſignante nominatus reſignatum Beneficium habeat. Ea repugnat ſacris Canonibus, quippe quæ in Beneficiis prohibitam ſucceſſionem inducat, & omnino evertat Eccleſiaſticam diſciplinam , ex qua majoribus Beneficiis per Canonicam electionem providendum eſt, & minoribus per liberam Diœceſani Epiſcopi Ordinationem ; ſed tandem admiſſa eſt etiam in Orientali Eccleſia , ut notat Balſamon , ad *Can. 76. Apoſtolorum.*

Olim ea reſignatio in favorem fieri poterat apud Epiſcopos , ut palam eſt ex *d. Ep. 56.* Sed Summus Pontifex Jus illud ſibi vindicavit eo colore, quod ſimoniaca ſit , & ille ſolus abſtergere poſſit eam ſimoniæ labem. Proprie quidem & vere Simoniaca non eſt (alioquin Pontifex eam labem delere non poſſet) quia reſignatarius non dat pecuniam ut Beneficium ei reſignetur aut conferatur, qui ſæpius abſens eſt & ignorans: ſed Simoniaca videtur, eo quod prohibita ſit, ut docet Gloſſa ad *cap. 12. ext. de off. & pot. Jud. del.* Et forte etiam Jus illud Summo Pontifici relictum eſt , ut ita reſtringerentur odioſæ illæ reſignationes in favorem. Cum eam admiſit, illi ipſi Clerico Beneficium reſignatum conferre tenetur , quem reſignans

gnans designavit: quia sub ea tantum conditione facta est: & ut ea omnino perducatur ad effectum, nec resignans redire possit, necessaria est acceptatio resignatarii.

Tertio amittuntur Beneficia per Monasticam professionem, ut diximus; nec sufficit sola susceptio vestis Monasticæ, sed regularis professio requiritur, *cap.4. de Regular. in sexto.* Olim quidem Clericus ab Episcopo petere debebat resignandi & profitendi facultatem, ait Lupus Abbas Ferrar. in *Ep.29.* & Arnulfus Lexov. in *Ep.65.* Sed hodie proprio motu, nec petita venia, utrumque facere potest, quasi ad perfectiorem vitam transeat, seu quia meliorem vitam sequi cupit, ut ex quodam Tolet. Concilio exscribit Abbo in suis *Canonibus*, *cap.23.* apud Mabilonium *Analec. to.2.* Et ipso Jure suum Beneficium amittit, cujus incipit esse incapax, propter eam regulam: Secularia Secularibus, Regularia Regularibus.

Quarto per legitimum Matrimonium, quia Beneficium Ecclesiasticum ejus esse debet, qui in assiduo Dei & Ecclesiæ ministerio esse potest, qualis non est conjugatus Clericus, *cap.4. de Cl. Conjug. in 2. Collect.* dictum est *lib.1.*

Quinto per quædam delicta, ut suo loco videbimus, & aliquando amittuntur ipso jure, aliquando per sententiam. Ipso jure seu ipso facto, cum jus ipsum declarat aliquod vacare Beneficium, quo casu, statim illud impetrari & conferri potest. Per Sententiam, cum jus ipsum statuit eum Clericum Beneficio

cio suo privandum : tunc enim illud non vacat, nisi lata sententia privatus dicatur & incapax , & ante eam illud impetrari & conferri non potest .

TITULUS XIX.

De Religiosis Domibus .

EX rebus Ecclesiasticis sunt adhuc Religiosæ Domus , seu Religioni aut pietati deputatæ . Tales olim erant privatæ quædam Domus , in quibus Fideles Officia Religionis obire solebant , cum nondum haberent Ecclesias . Nec quid aliud erant titulus Equitii , titulus Pudentis , titulus Euphemiæ , apud Anastasium . Tales etiam aliæ Domus privatæ , in quibus sacræ Virgines agebant , antequam haberent Monasteria. Sed & ea ejusmodi erant, cum Monasticus Ordo diceretur simpliciter Religio, ut in vita S.Radegundæ . Nec in iis proprie olim essent Ecclesiæ , sed Oratoria, de quibus passim agitur in *tit. Decretal. de Relig. Dom.* Invaluit Monachos habere sacras Ædes & Ecclesias .

Ab ipsis Monasteriis ut plurimum pendent alia quædam Religiosa loca , quæ ibidem sæpius dicuntur pia loca , hodie Prioratus . Olim ideo dicebantur Obedientiæ,quod cum Monasteria variis in locis haberent majora prædia , quæ vix curare poterant , ad ea duos sæpe Monachos mitterent , qui dicebantur obedientiarii , quod semper essent sub obedientia Monasterii; cumque sibi Domunculas & Oratoria in

iis

iis prædiis ædificarent, dicebantur religioſæ Domus, Cellæ, Grangiæ, Capellæ.

Sunt etiam religioſæ domus vel recipiendis hoſpitibus egenis, vel curandis pauperibus ægrotis (quas Ethnicis etiam cognitas fuiſſe docent Pauſanias in *Corinthiacis*, Publius Victor in *Regionibus urbis*, & Suetonius in *Claudio*, *cap.*25.) vel invalidis, vel ſenioribus, vel orphanis deputatæ: quarum nomina exponit Carolus Mag.*lib.*2. *Capitul. cap.*29. & paſſim. Dicuntur etiam pia & venerabilia loca generaliter Hoſpitalia, in *cap.*4. *ext. hoc tit.* Quidam volunt ea non aliter eſſe Domos Religioſas, quam ſi ex conſenſu Epiſcopi Oratorium in iis ædificatum ſit, ex *cap.*1.*de Eccl.æd.in* 2 *Coll.* Sed quamvis non ſemper pro Beneficio habeantur (quamvis olim eſſent Clericales tituli) attamen Sacri Canones ea indiſtincte vocant Religioſas Domos, quod ſint Domus Dei, *cap.*55. *ext. de appell.* hodie *l'Hoſtel. Dieu.*

Ut plurimum quidem Diœceſano Epiſcopo ſubjacent, ut iis præpoſiti Clerici in ejus poteſtate maneant, *Can.*8. *Calched. Concilii.* Ut adminiſtrationis rationes ei reddant, Gregorius Magnus *lib.*7. *Reg. Ep.*23. Ut ad ejus ſollicitudinem ordinentur, *cap.*3. *ext. hoc tit.* hoc deſumtum eſt ex *Can.*23. utriuſque Synodi ratione ſub Eugenio III. & Leone IV. & uterque in *Can. ſeq.* ſtatuit, ut in iis Presbyteri ab Epiſcopo inſtituantur, ſi proprio jure ſubjecta ſint Eccleſiæ: ſi autem conſtituta ſint ſub jure Secularium hominum, ut illi ab Epiſcopis admoneantur, videli-

cet

cet curare,ut in iis locis Presbyteri ordinentur & instituantur. Unde palam est non omnia Hospitalia esse in ordinatione & administratione Episcoporum ; sed aliquando Monachorum aut Monialium , ut docet Carolus Magnus *lib.5. Capitul. cap.2. in fine*, & Lupus Abbas in *Ep.*11.Aliquando etiam secularium hominum , quod vel ex eorum fundatione pendet ; ex fundatione , nam unicuique liberum est Hospitale in sua Domo ædificare , vel etiam absque consensu Diœcesani Episcopi . Sed si Oratorium in eo ædificare velit , necessarius est ejus consensus , *cap.*1. *de Eccles. ædif.in* 2.*Coll.* Vel ex longa consuetudine,vel ex privilegio Sedis Apostolicæ,*cap.2.hoc tit.in Clem.* Semper tamen ea Hospitalia quasi Religiosæ Domus a Diœcesano visitari possunt : illud enim est juxta Canonicam authoritatem & Regia præcepta , ut ea Episcoporum potestati subjecta sint , & eorum consilio regantur, inquiunt Episcopi Remensis & Rothomag. Provinciæ in *Capitulis Caroli Calvi tit.*23.

TITULUS XX.

De Censibus & Procurationibus .

Hic agitur tantum de sacris Censibus Ecclesiæ debitis , qui non minimam faciunt bonorum Ecclesiasticorum partem; eoque nomine veniunt omnes pensiones , aut præstationes , quæ debentur Ecclesiæ in signum subjectionis,protectionis, aut etiam pietatis . Olim quidem Ecclesiæ Rom. multi census de-

debebantur per universum fere orbem Christianum; de quibus liber quidam inscriptus est *Census Ecclesiæ Rom.* ad quem pertinet omnino *cap.8. ext. de Privil.* In eo descriptæ potissimum erant Ecclesiæ Censuales Ecclesiæ Rom. Sæpius enim Fundatores Censum aliquem Sedi Apostolicæ offerebant, ut essent sub ejus tutela & protectione, aut cum ab ea quædam privilegia pro variis Ecclesiis petebantur; sæpius etiam oblatos quosdam Census exprimebat in eorum tabulis. Omnes illi Census fere abierunt in desuetudinem. Olim etiam quædam Regna Census annuos solvebant Ecclesiæ Rom. qualis erat denarius S.Petri in Anglia, quem etiam Gregorius VII. Galliæ imponere voluit, sed incassum, ut palam est ex ejus *lib.8. Reg. Ep.ult.*

Hodie adhuc Rom.Pontifici solvuntur annatæ, idest, fructus primi anni Episcopatuum & Abbatiarum, cum ab eo conferuntur ad nominationem Christianissimi Regis.Ante Bonifacium IX.& Joan.XXII. introductas illas fuisse constat ex nota Hostiensis ad *cap.15. ext.de off.jud.ord.* Abrogatæ fuerant in Concilio Basil. & in Pragmat. Sanct. Sed postmodum in Concordatis restitutæ sunt, ac tandem a Carolo IX. confirmatæ. Quidam etiam Episcopi & inferiores Prælati eas olim exegerunt, & adhuc hodie in quibusdam locis exigunt.

Episcopi etiam varios habuerunt Census, ac sæpius prohibitum, ne novos imponerent suis Clericis. Olim quarta decimarum, oblationum,& mortuariorum ex omnibus Ecclesiis Paræcialibus recensebatur

in-

inter Episcopalia jura, *cap.* 16. *ext. ibid.* Sed ea exolevit, ubi potissimum locupletiores erant Episcopatus. Quod jam olim decretum est in *Can.* 31. *sexti Parisiens. Concilii sub Ludovico Pio*, ubi sic habet. Quamquam Canonica authoritas doceat, ut Episcopi habeant quartam partem decimarum; ubicumque tamen Episcopus habet sua, quibus se suamque dignitatem tueri possit, iis contentus sit.

Habebant etiam Cathedraticum seu Synodaticum, ut est in *d. cap.* 16. Est annua pensio, quæ pro honore Cathedræ & Synodi præstatur; & verius est unum illum esse censum, ut etiam existimat Innocentius IV. & Glossa ad *quæst.* 3. *caus.* 10. & ad *d. cap.* 16. Eum facile probarunt Sacri Canones, cum non amplius Parochi supradictam quartam præstiterunt Episcopis, *Can. placuit* 10. *q.* 3. Olim nihil fere certi erat in eo censu, quoties præstaretur quolibet anno, quis esset illius modus, & in quibus consisteret. Sed placuit eo nomine duos tantum solidos seu aureos deberi, *d. Can. placuit*, & quidem bis in anno, ex *Capitulari Tholosano Caroli Calvi cap. ult.* quod ad unam præstationem redactum est. Quidam Episcopi eum censum remiserunt, ut palam est ex *Ep.* 57. Fulberti Carnot. Ac tandem in Gallia invaluit, jus illud esse insolitum & exorbitans, ut loquuntur, ita ut non debeatur nisi ex singulari titulo, vel ex longa consuetudine, vel si pauperior sit Episcopatus; quod desinitum videtur ex *Can.* 2. 3. & 8. 10. *q.* 3.

Denique est Procuratio seu exhibitio Cibariorum, quam Clerici Paræciales suis visitantibus Prælatis

latis præſtare tenentur. Sacri Canones ſtatuunt paſſim, ut Epiſcopi ſuam Diœceſim quotannis viſitent, eaque viſitatione Diſciplinam Eccleſiaſticam ſervari docent. Huic viſitationi annexa eſt Procuratio, *cap.21. ext. de cenſ.* ut nempe qui viſitantem Epiſcopum recipere debent,eum etiam procurare, ſeu exhibere teneantur. Olim ejus Procurationis nomine nihil quidquam accipiebant Epiſcopi, exemplo Apoſtoli,qui non erat oneri Eccleſiis illis,quas viſitabat, *Can.cavendum* 10. *q.*3.Sed invaluit iis deberi Procurationem, olim in ſpeciebus, puta in cibariis, hodie in certa pecuniæ quantitate;ita ut nihil amplius exigatur, *cap.2.& 3.de cenſ.in ſexto* : eaque iis tantum debetur,qui præſentialiter viſitant,ut eſt in *Can.*33. *generalis Concilii Lateran.*Aut ſi non viſitent, & tamen petant Procurationem, duplici notantur infamia,negligentiæ & avaritiæ, *Can.relata* 10. *q.*1.

TITULUS XXI.

De Rebus Eccleſiæ alienandis vel non.

HIc non agitur de rebus ſpiritualibus, quæ omnino Dei ſunt, ſed tantum de temporalibus, quæ vel ſunt mobiles, puta vaſa, veſtes, ornamenta, donaria, ſupellex Eccleſiæ;vel immobiles,puta prædia urbana & ruſtica, ſicut & annonæ iis impoſitæ. Ex omnibus illis rebus aliæ ſunt ſacræ,aliæ prophanæ, quæ ſæpius ſimpliciter dicuntur temporales; ſacræ immobiles puta Eccleſiæ,Cæmeteria:mobiles,

biles, puta vaſa ſacra, ſacræ veſtes, & alia quæ neceſſaria ſunt ad Divinam religionem, ut in *l.21.Cod. de ſacroſ.Eccl.* non ſacræ, puta gemmæ, aurum, argentum, vela ſeu opera textilia, & alia id genus, quæ ad rem Divinam nullum faciunt neceſſarium uſum, ut eſt in *Nov.*120. *cap.*10. & ſunt tantummodo ad ornatum & majeſtatem, *Can.Bene*, *diſt.*96.

Semper Chriſtiani exiſtimarunt, res ſacras alienari non poſſe, propter ea verba *Levitici cap.ult.* Omne quod Domino conſecratur, non væniet, nec redimetur, & Sanctum Sanctorum erit Domino. Et hinc cum Cyrillus Alexand. in *Epiſt. Canonica ad Domnum cap.2.* dixit ſervanda eſſe vaſa ſacra Eccleſiæ, Balſamon addit, ſacra vaſa eſſe res inalienabiles. Senſim tamen invaluit, vaſa ſacra vendi poſſe ad redemtionem Captivorum, nempe Chriſtianorum, qui ſint in vinculis apud hoſtes Chriſtiani nominis: tunc enim captiva ſunt membra & templa Chriſti, & magnum eſt eos pecunia redimere, qui ſanguine Chriſti redemti ſunt, ait S.Cyprianus in *Ep.*60. Juſtinianus addit cauſam famis publicæ; abſurdum enim eſſet animas hominum non præferri vaſis & veſtimentis, *L.Sancimus* 21. *Cod.de Sacroſ.Eccl.*

Obſervanda eſt autem ea methodus, quam in alienatione rerum Eccleſiaſticarum præſcribit in *Nov.*120. Ut nempe, primo vendantur ea mobilia, quæ ſunt ad ornatum, iis non ſufficientibus, vaſa ſuperflua, ſecundo, vaſa ſacra, ultimo res immobiles. Jubet etiam, ut vaſa ſacra vendantur aliis Eccleſiis, quæ iis egeant: ſi nullæ ſint hujuſmodi, ut confrin-

gantur & revocentur in maſſam, & ita referentur, aut propha na fiant. Quod Jure civili non deſideratur, quaſi ea ipſa lex prophana illa faciat, cum ex legitima cauſa venduntur, *l.inter* 83. *d.de V.O.* Ac tandem ſtatuit, ut ejus alienationis acta & inſtrumenta gratis fiant apud Diœceſanum Epiſcopum, qui conſentiat & ſubſcribat, *Nov.*7. *cap.*8. Ac ſi ea fuerint omiſſa, ut vel Epiſcopus, vel Æconomus, vel ea ipſa Eccleſia, res illas vindicet, nec pretium reddatur emtori; aut ſi non amplius extent, hic pretium reddere teneatur ipſi Eccleſiæ, *d.l.*21. quæ jam antea ſtatuerat Ancyrana Synodus in *Can.*15. & repetitum eſt in *Can.Abbatibus* 12. *q.*2.

Olim etiam ſacri Canones prædiorum Eccleſiaſticorum alienationem prohibuerunt, ut palam eſt ex *Can.*33. *Carthag. Concilii ſub Honorio Imp. in Cod. Can. Eccleſiæ Afric. & ex Epiſtola Canonica S.Cyrilli ad Domnum.* Sed Leo Imp. eam prohibitionem valde confirmavit in prædiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, *l.*14. *Cod.de Sacroſ.Eccl.* Anaſtaſius in prædiis Patriarchatus Conſtantinopolitani, *l.*17. *ibid.* & Juſtinianus in omnibus Chriſtiani orbis Eccleſiis, *d.Nov.*7. & 120. eaſque pœnas addidit, ut emtor ea reddat Eccleſiæ cum perceptis fructibus, nec ab ea pretium petere poſſit: ut venditor officio ſuo privetur, & ſolvat Eccleſiæ quod ejus intereſt: ut Tabelliones qui ejus alienationis inſtrumenta ſcripſerint, perpetuo exilio puniantur; ut Judices dignitate ſua priventur, qui paſſi fuerint eam in acta publica referri. Leo rationem ejus prohibitionis hanc af-

affert, quia sicut perpetua est religionis, & fidei Mater Ecclesia, ita & perpetuum debet esse illius patrimonium. Justinianus, quia si venderentur prædia Ecclesiæ, Clerici non invenirentur, qui Divinum Officium celebrarent.

Cum autem Leo ita prohibuit prædiorum Ecclesiasticorum alienationem, ne per eam Ecclesiæ adimatur via & occasio commodæ provisionis, aliquando ea permisit alienari, quibusdam solemnitatibus adhibitis. Prima ea est, ut alienatio illa fiat tantum ex justa causa, quæ nempe Canonibus & Legibus probata sit, puta ex causa necessitatis, aut summæ utilitatis. Necessitatis, puta pro redimendis Captivis, aut alendis pauperibus tempore famis publicæ; vel etiam si Ecclesia magno ære alieno oppressa sit, nec aliunde habeat unde illud dissolvere possit, *cap.* 11. *ext. hoc tit. Can* 50. & 51. 12. *q.* 1. Et omnino verius est, eam necessitatis causam desiderari etiam in alienatione mobilium, *cap.* 1. *ext. de pignor.* Summæ utilitatis, *Can. sine exceptione, ibid.* puta si sterile prædium pluris vendat Ecclesia, ut ex ejus pretio fructuosum acquirat, ut in *cap.* 7. *ext. hoc tit.* si alienet ruinosas Ædes, quæ non nisi majoribus impensis servari possint, aut longius remota prædia, quæ facile curari non possint.

Secunda est, ut solemne fiat ejus alienationis instrumentum, in quo ejus causa nominatim exprimatur, atque ita ut si omissa sit, nunquam suppleri aut præsumi possit adhibita, nec ullum tempus vel etiam longissimum faciat, ut adhibita præsumatur, quia

una illa cauſa poteſtatem concedit faciendæ illius alienationis.

Tertia eſt, ut huic alienationi conſentiat Diœceſanus Epiſcopus, cum in ejus poteſtate & diſpoſitione ſint omnia Eccleſiæ bona; ac ſi forte in alia Diœceſi Eccleſia illa ſit, ad quam pertineat alienandum prædium, & illud ſit in alia Diœceſi, tutius eſt utriuſque Epiſcopi conſenſum adhiberi, & ejus in cujus Diœceſi eſt ea Eccleſia, quia eſt Epiſcopus alienantis Clerici, *Can.placuit* 12.*q*.2. & Ordinator ejus Eccleſiæ, *Auth.hoc Jus*, *Cod. de Sacroſ.Eccl.* atque etiam ejus Epiſcopi conſenſus deſideratur, in cujus Diœceſi poſitum eſt illud prædium, nam illud eſt in ejus poteſtate; cumque alienatur ruſticum minoris prædium, deſideratur decretum Præſidis Provinciæ, in qua illud ſitum eſt, *l*.16.*Cod.de præd.min.*

Quarta eſt ex *Novellis Juſtin.* quas Gratianus canoniſavit, ut adhibeatur tractatus ſeu communis deliberatio Clericorum ejus Eccleſiæ, cujus alienandum eſt prædium; puta ut in præſentia Epiſcopi alter ex iis præſentibus exponat alienationis faciendæ cauſam; ut omnes ſigillatim vota emittant; ut ſi de alienatione illa inter omnes conveniat, fiant ejus tractatus & alienationis acta & inſtrumenta, quibus omnes ſubſcribant. Quod ſi alienatio proponatur ex cauſa ſummæ utilitatis, alter ex iis deputatus in rem præſentem ire debet, inquirere in ſtatum alienandi prædii, ejus inquiſitionis acta referre ad Capitulum, quæ deſcribantur in tractatus & alienationis inſtrumento. Denique Juſtinianus requirit, ut in loco publico

blico proponatur vænale eſſe prædium illud ejus Eccleſiæ, ut omnes ad ejus emtionem accedant; & illud plus licitanti addicatur. Sed hodie volunt, neceſſariam non eſſe illam publicationem.

TITULUS XXII.

De Contractibus Eccleſiaſticis.

ITa D.Cujacius *Nov.*120. inſcripſit. Vel etiam titulus ille inſcribi poteſt, *de contractibus Clericorum*, ſicut Juſtinianus in ſuo *Cod.* dedit titulum *de contractibus Judicum*: ut in hoc noſtro de iis tantum agatur, qui de rebus Eccleſiaſticis aliquid ſingulare habent inter Clericos. Forte ſi quidem Canonici Juris Inſtitutionibus inconveniens eſſet, de omnibus illis contractibus agere, quos Jus civile fuſius expendit; ab eo repetenda eſt eorum ſubſtantia & natura. Duos plane affines emtionem venditionem, & locationem conductionem in hoc titulo attingere juvat, ſicut & quaſdam Canonici Juris regulas, quibus utraque conſtat.

Prima eſt ex *Can.*2.*Tarracon.Concil.*apud Reginonem & Burchardum, ut quicumque in Clero eſſe voluerit, emendi vilius & vendendi carius ſtudio non utatur, quamvis Authores Juris civilis doceant vel etiam ſe invicem in pretio circumſcribere conceſſum eſſe naturaliter: quod forte nihil aliud eſt, quam ἐμπορικῶς, ait Juſtinianus in *Nov.*97. *cap.*1. Id eſt juxta uſum fori, vel etiam ex naturali hominum

appetitu & inclinatione, ut voluit Grotius. Sed eam a Clericis abesse jubet ille Canon, quod in iis omnino prævalere debeat fraterna charitas.

Secunda est, ut Clerici commercio vel negotiationi se non immiscеant, præterquam ad victum & vestitum, ut *lib.* 1. scriptum est.

Tertia est, ut si Clericus post Ordinationem suam aliquid emerit, acquisierit, aut suo nomine comparaverit, illud propriæ relinquat Ecclesiæ, ut ex pluribus Canonibus probat Regino Abbas *lib.* 1. *de Discip. Eccles.a cap.* 217. *ad* 221. & ibi addendus Balusius. Quod licet hodie non observetur, de eo tamen admonendi sunt Clerici, & illi potissimum qui suæ Ordinationis tempore pauperes fuerint, & ex reditibus Ecclesiæ aliquid comparaverint, aut ex iis facti sint locupletiores.

Quarta est, ut Ecclesia res soli non emat, aliterve acquirat, quam ex præcepto vel concessione Regis, & tributum illud ei, & feudalibus Dominis solverit, quod dicitur hodie amortisamentum, de quo supra. Quidam volunt, constitutionem de eo editam fuisse in Gallia, quo tempore S. Ludovicus in Bello sacro captus est, & de ea conquestum fuisse Alexandrum IV. Quidquid sit, non alia ratione in hoc titulo Juris illius mentio fit, quam quod Summus ille Pontifex in *cap.* 4. & Bonifacius VIII. in *cap.* 3. *de Immun. Eccl. in sexto*, de eo agant, & illud tollere velint: sed Clemens V. illud restituere videtur, *eod. tit. in Clem.*

Quinta est, ut omnino reprobetur ea emtio venditio,

ditio, sub cujus nomine fiat & lateat contractus quidam usurarius, ut in *cap.5. ext.de emt. & vend.* cujus speciem ac definitionem desumit Odofredus ex *l.3. Cod. plus val. quod ag.* Sed tandem posteriores Pontifices in *cap.1.& 2. ibid. in extravag. com.* probarunt contractum annui reditus, ea lege, ut sors ipsa omnino alienata sit, nec unquam peti possit: eaque nihil aliud est, quam emtio venditio, quamvis forte fucata, sed permissa. Probarunt, inquam, nec enim primo introduxerunt id genus negotii, cum jamdiu obtineret ex *Nov.*160. ubi occurrit ea ipsa species hodierni reditus annui.

Locatio conductio aliquid etiam singulare habet in Clericis. Ea duplex est, aut temporalis, aut perpetua. Temporalis, quæ fit ad modicum tempus, olim sæpius ad quinquennium. Ea non mutat dominium: ideoque Balsamon ad *Can.*12. *sept. Syn.* ait eam non recenseri inter alienationis species. Unde Clerici Ecclesiarum suarum prædia, etiam nullis solemnitatibus adhibitis, locare possunt ad modicum tempus, *cap.1. in fine, de reb. Eccles. al. vel non, in Clem.* quod hodie ad novem annos producitur ex *Glossa ad Nov.*120. *cap.3.* & longum tempus ad decem: sicut Principum constitutiones longum tempus in præscriptione definierunt. Ac si forte Clerici Ecclesiarum suarum prædia partim locaverint ad decennium, Græci ad *l.29. d. de usur. & fr.* existimant eam locationem non quidem in totum infirmari, sed tantum quatenus excedit decennium.

Ea, inquam, temporalis locatio aliquid singu-

lare in Clericis. Primo ut propter turpia lucra conductores esse non possint alienarum possessionum, *Chalched. Concilii Can.* 3. quem ad suggestionem Imperat. Martiani editum fuisse, palam est ex *Act. sexta ejus Concilii*. Hoc etiam confirmavit Justinianus in *Nov.* 123. *cap.* 6. & ibi addidit, eos esse non posse publicarum & alienarum possessionum conductores. Meldense Concilium in *Can.* 49. prohibet, ne turpi villicationi se implicent, & turpem illam vocat, quæ sit mercenaria, ut addit Zonaras ad *d. Can.* 3. seu quæ fiat tantum lucri faciendi animo. Sed tamen conducere possunt decimas suarum Ecclesiarum. Imo & in Ecclesia Anglic. prudentissimum erat illud institutum, ut soli Clerici decimas conducere possent, & quidem ad breve tempus; ex Concilio Londinensi sub Ottone Legato, in *Can.* 8. apud Mathæum Paris. & Spelmannum, quod forte habuit a Concilio Rothomag. *Can.* 19. *an. Domini* 1189. Ne Laici earum conductores, vel eas, vel Jus earum percipiendarum, invaderent, ut rectissime addit Alteserta ad *Can.* 2. *extr. de loc. & cond.* vel etiam ne in iis percipiendis nimias admitterent exactiones, ut est in *Can.* 7. *ejusdem Concilii London.* Sæpius etiam in eadem Ecclesia prohibitum est, ne altaria seu Ecclesiæ, aut decimæ, personatus, dignitates, aliave munera Ecclesiastica dentur ad firmam: quodquid sit, vide quid dixi ad *cap.* 8. *ext. de Jur. Patron.*

Sic etiam Innocentius II. in *Can. præcipimus* 21. *q.* 2. prohibuit, ne Monachi suas Paræciales Ecclesias committerent conductitiis Presbyteris: ita enim

cum,

cum in Claromontano Concilio sub Urbano II. Ecclesiæ illæ Monachis ademtæ essent, & statutum ut in iis Vicarios instituerent, annuos tum primum habere cœperunt, eosque conductitios, quod prohibuit ille Pontifex: & Alexander III. in *Can. 1. sui Turon. Concilii apud Guill. Neubrig.* generaliter addidit, ne sub annuo pretio Sacerdotes ad regimen Ecclesiarum statuantur, & statim voluit eos Vicarios esse perpetuos, *cap. 3. ext. de off. Vic.*

Denique constat, multis Synodorum decretis, & pluribus Imperatorum Constitutionibus, prohibitam esse alienationem rerum Ecclesiasticarum, & nomen illud productum fuisse ad emphyteusim, nisi adhibitis illis solemnitatibus fiat, de quibus, in *tit. Novellæ Justiniani 7. & 120.* (quas Gratianus canonisavit, ut loquuutur) aliquid discriminis introduxerunt inter emphyteusim Ecclesiasticam & prophanam. Prior quidem vix olim permissa erat, nisi ad vitam accipientis, aut duorum heredum, puta filiorum & nepotum: sed tandem admissa est etiam perpetua in sterilibus prædiis aut ruinosis Ædibus Ecclesiæ; ac semper addendum est, adhibitis solemnitatibus necessariis. Cum autem Jure civili cautum est, emphyteutam expelli posse non soluto Canone per triennium, placuit sufficere biennium in Ecclesiastica emphyteusi.

TITULUS XXIII.

De Precariis, Preſtariis, & Libellis.

TRes illi contractus ævo ſequiori prodierunt in Eccleſiaſtica œconomia; & paſſim occurrunt in Conciliis, in Capitularibus, Hiſtoriis, & Annalibus Eccleſiaſticis. Precaria aut precatoria eſt contractus, quo prædii Eccleſiaſtici uſusfructus alicui conceditur ad illius preces. Eam in nummis etiam conſiſtere quidam volunt ex verbis illis Caroloman-ni Ducis & Principis Francorum in *Liptinenſi Concilio*, cui præfuit Bonifacius Moguntinus ad annum 743. quodque Syrmundus exſcribere debuit ex *Epiſt.* 78. ejuſdem Bonifacii. Statuimus quoque & C. ut ſub precario & cenſu aliquam partem Eccleſialis pecuniæ in adjutorium exercitus noſtri aliquanto tempore retineamus. Sed ibi Eccleſialis pecunia generaliter accipitur pro Eccleſiæ poſſeſſionibus; & quidem una illa ratione, quod ille eſſet contractus uſurarius; ſi quidem in pecuniâ numeratâ conſiſteret, nec eum probaſſet Eccleſia.

In tribus præcipue caſibus id genus negotii obtinuit. Primus & antiquiſſimus eſt, cum aliquis fundum ſuum donabat Eccleſiæ, ab ea ejuſdem fundi uſumfructum precibus adhibitis petebat, & accipiebat ad vitam, aut aliud tempus. Secundus eſt, cum ſæpius ac ſæpius juberent ſacri Canones, ut Laici uſurpata prædia Eccleſiaſtica reſtituerent, precabantur

cabantur Eccleſiam, ut eorum uſumfructum retinerent ad vitam, ne ſi eorum reditu carerent, redigerentur ad egeſtatem. Tertius eſt, cum Reges ac Principes gravioribus bellis premerentur, ſæpiſſime cogebant Eccleſiam, ut iis prædia quædam Eccleſiaſtica darent in precariam; & ita iis prædiis uterentur fruerentur ad exercitus adjutorium, ut ſupra dictum eſt ex Liptin. Concilio.

Luculentiſſima primi caſus exempla duo extant, alterum apud Poſſidonium in *vita S. Auguſtini*, *cap.* 24. ubi alter ex Honoratis Hipponenſium, Eccleſiæ Hipponenſi poſſeſſionem donare voluit, retento ſibi uſufructu. Alterum in Regula S. Benedicti *cap.* 66. "Parentes ejus (nempe ſuſcipiendi Monachi) faciant ex rebus, quas donare voluerint, Monaſterio donationem, reſervato, ſi ita voluerint, uſufructuario, ideſt, uſufructu. Cumque frequentior eſſe cœpiſſet hujuſmodi precariæ uſus, ex eo Marculfus *lib.* 2. *cap.* 5. ejus concipiendæ formulam edidit. Et valde intererat Eccleſiæ Chartam ejus precariæ conſcribi, ne per diutinam detentionem prejudicium ei fieret, *Can.* 5. *VI. Tolet. Concilii.* Atque etiam poſtea cautum eſt, precariam renovari ſingulis quinquenniis, *cap.* 1. *ext. de prec.* eaque ipſa ratione, qui precariam accipiebat, minuſculum aliquid eidem Eccleſiæ, cenſus nomine, ſolvere tenebatur, ne proprietas ab ea recederet. Quocumque modo conceſſa eſſet precaria, qui eam acceperant, Pontificium ſeu poteſtatem non habebant, alienandæ illius rei, quæ iis data erat in precariam.

Quo

Quo tempore prodierit, non ſatis conſtat. Prima ejus ſpecies olim cognita videtur ex *l.ult. Cod. Th. de donat.* Id eſt veteribus etiam Juriſconſultis, puta Papiniano in *l.42. in princip. ff.de mort. cau. donat.* ubi cum Seja fundum ſuum Titio donare vellet, ejuſdem uſumfructum ſibi recepit ſeu reſervavit. Ea reſervatio pro vera & naturali traditione habita eſt, quæ tunc temporis neceſſaria erat ad donationem. Sed Theodoſius in *l.8. ibid.* eam quaſi fictitiam ſuſtulit: nec multo poſt, puta poſt biennium reſtituit, in *d.l.ult.* Eamque confirmavit Juſtinianus in *l.ſi quis* 35. §.5. *Cod.de donat.* Sane Veteres id genus negotii vocabant donationem, quia Dominus donatæ rei ſuæ legem illam dicebat, ut ejus ſibi retineret uſumfructum; & ideo Iſidorus *lib.4. Orig. cap.24.* eam vocat donationem uſufructuariam: ſed poſteriores vocarunt precariam, quod Eccleſia donanti & precanti Domino uſumfructum illum concedat, & ad illius preces.

Dici etiam forte poteſt, ortam fuiſſe precariam ex *l.jubemus 14.in fin. Cod.de Sacroſ Eccl.* ubi Leo Imperator Eccleſiæ permittit ſui alicujus prædii uſumfructum alicui præſtare ad illius preces; ſiquidem fructuarius ille aliud eidem Eccleſiæ donet, quod ſit ejuſdem reditus: quod etiam probavit Juſtinianus: ſed ea precaria erat omnino ad Eccleſiæ utilitatem, noſtra autem ad onus & detrimentum, & Leonina ſtatim exolevit.

Alterutro quidem exemplo uſa eſt Eccleſia, ut reciperet precariam: ſed, ut diximus, non ſatis con-

constat, quando tum primum eam receperit. Plures ejus originem repetunt ex *III. Carthag. Concilio* ad *annum* 390. quod extat apud Gratianum & Gregorium IX. & in quibusdam Codicibus MSS. Frustra. Nam rectissime notant Correctores Romani, Contius, & Ant. Augustinus, Canonem illum non extare in ullo Carthag. Concilio; sed conceptissimis verbis *lib.* 3. *Legum Longobardicarum*, *tit.* 10. *cap.* 2. Et olim didici a præstantissimo de Marca, iis locis adscribendum esse quendam Canonem, in quibus tum primum certo & nominatim scriptum legitur.

Prima igitur mentio Precariæ mihi occurrit in Epaonensi Concilio circa *annum* 517. *Can.* 18. quod enim de ea in *Can.* 59. *Agathensis Concilii* ad *an.* 506. Syrmundus notat illud cum quibusdam aliis huic Concilio additum ex Epaonensi. Carolus Calvus eam valde cohibuit & imminuit in suis Capitulis in Villa Sparnaco, in Synodo ad Vermeriam, & in Concilio Meldensi. Nec tamen dicendum est, omnes precarias statim exolevisse, sicque inutilem esse titulum Decretalium de *Precariis*, ut voluit Albericus Gentilis. Nam & earum meminit Chronicon Abbatiæ S. Trudonis ad *an.* 1100. *to.* 7. *Spicilegii Dacheriani*. Nec multo post eas agnoscunt Gregorius VII. *lib.* 6. *Regesti Ep.* 5. *in fin.* & Ivo Carnot. in *Epist.* 271.

Sic ergo dicebatur Charta, Libellus, quo aliquis precabatur aut petebat usumfructum alicujus Prædii Ecclesiastici.

Præstaria autem erat Charta, quam dabat Ecclesia, & in qua exponebat, quibus legibus aut conditionibus

tionibus dabat. Disputant primæ notæ Interpretes, an Precariæ & Præstariæ differant, an idem sint. Marculfus distinctam utriusque formulam scribit. Syrmundus ait precariam esse, quam dat petitor, præstariam vero, quam dat Rector Ecclesiæ. Balusius ad Reginonem probat fusius utriusque vocabula confundi olim solita.

Utrumque illud negotium differt valde a precario, de quo in libris Juris Civilis; & precaria solo tantum nomine cum precario convenit. Gregorius IX. totam fere precarii materiam breviter ex Jure Civili complectitur in *cap. ult. ext. de precar.* quod more suo edidit absque ulla consultatione, & proprio motu. Ex eo Cap. Precarium est conventio, qua quis rem suam alteri utendam ad illius preces concedit, ut ea utatur, quandiu concedenti placuerit: differt a commodato & donatione, sed hoc non est istius loci. Aliquando etiam Precarium & Beneficium dicuntur de ea re, quæ aut destructa sit, aut ruinam minetur, & petenti datur ad reficiendum aut restituendum, ut in vita S. Ansegisi apud Mabilonium.

Denique est libellarius contractus apud Gregorium Magnum in *libris Regesti*, & in aliis veteribus monumentis, in *Glossario Lindenbrogii ad Cod. legum Antiquarum*; cum interveniente libello res Ecclesiastica vel etiam prophana venditur certo pretio & certa pensione in singulos annos constituta. Synodus Pontigonensis in *Can.* 10. jus libellarium & emphyteuticarium confundere videtur. Quod etiam exscribit

bit Carolus Calvus in suis *Capitulis tit.* 41. Sed ibi Syrmundus contendit, inter utrumque illud esse discrimen, quod Emphiteusis non renovetur nisi mutato possessore: Libellaria renovari soleat statis temporibus data pecunia. Addi forte potest, Emphyteusim non fieri, nisi sub lege ἐμπονημάτων seu meliorationum, quæ in libellaria non desiderantur.

TITULUS XXIV.

De Bonis Clericorum & Monachorum.

IDem plane titulus datur *lib.* 5. *Cod. Th.* & in utroque agitur tantum de propriis & patrimonialibus Clericorum bonis, de quibus etiam plures sunt Sacri Canones. De iis primo agendum, quæ ante ordinationem habuerint, & postmodum de iis, quæ post eam acquisierint. Olim quidem Clerici nihil habebant proprium, aut si quid tempore ordinationis haberent, illud vendebant, & pretium dabant pauperibus. Sed placuit, ut propria bona retinerent ac colerent eo prætextu, quod ex iis pauperes sublevare possent in dies, *Can.* 12. *Sardic. Concilii.*

Eo casu ex Apostolorum *Can.* 40. electus Episcopus inventarium facere debet rerum propriarum & Ecclesiasticarum, *Can.* 24. *Antioch. Synodi, & Can. sint manifestæ* 12. *q.* 1. Justum enim est apud Deum & homines, ut Ecclesia res suas salvas habeat; & Clericorum bona serventur eorum gentilibus aut agnatis: & hoc bona fide & in rei veritate consistere de-

debet, & abſque ulla fraudatione; alioquin habebantur ut falſarii. Anaſtaſius Bibliot. in *Nicolao I.* duos Ravennatenſes Archiepiſcopos arguit, quod cautiones & indiculos falſaverint, qui conſecrationis initio fieri ſoliti erant in ſcrinio. Locus ille reſpicit omnino inventarium illud, de quo agimus, & indicat quo tempore faciendum, nempe ordinationis, & illud deponendum in ſcrinio Eccleſiæ. Nec tantum res immobiles Eccleſiæ, ſed etiam mobiles deſcribendæ erant. Ita Gregorius Turon. *lib.* 6. *Hiſtor.* cujuſdam Epiſcopi meminit, qui deſcripſit argentum Eccleſiæ. Si Epiſcopus inventarium illud non fecerit, Zonaras & Balſamon ad *Can.* 22. *Calched. Concilii*, addunt propria ejus bona Eccleſiæ acquiri, quaſi voluerit ea poſt mortem ſuam eodem jure cenſeri, ac alia Eccleſiæ bona, quæ tenebat.

Olim etiam Sacri Canones ita reſpiciebant propria illa Clericorum bona, ut ſi ex iis exhiberi poſſent, nihil plane caperent ex reditibus Eccleſiæ; alioquin dicebant eos committere ſacrilegium, quod ita furarentur bona pauperum, *Can. Clericos, q.* 2. & comedere peccata populi, *Can. Paſtor. ibid.* ideſt populi peccata in ſe ſuſcipere, ait Proſper Aquitanicus, aut Julianus Pomerus in *libris de Vita Contemplativa*; ſeu comedere ſacrificia populi pro peccatis, ait S. Auguſtinus in *Enchiridio de fide*. Atque etiam priores Imperatores Chriſtiani ægre patiebantur, locupletiores ordinari Clericos quia, inquit; Conſtantinus Magnus in *l.* 6. *Cod. Th. de Epiſc.* oportet opulentos ſubire neceſſitates ſeculi, & pauperes divitiis

Ec-

Eccleſiæ ſuſtentari. Et hinc adhuc hodie ſunt Collationes Pontificiæ in forma pauperum, in forma communi, in forma juſtitiæ.

Denique in propriis Clericorum bonis ante Ordinationem quæſitis, intereſt Eccleſiæ, ſi ad ea ordinati fuerint, aut pro titulo iis utantur. Ac verius eſt, nec illud introductum in *Can. 6. Calched. Concilii*, in quo ad Eccleſiam poſſeſſionis Ordinari, eſt ad Eccleſiam Pagi. Nec etiam ab Alexandro III. in *cap. 4. ext. de præb.* Nam ante eum titulus ille Patrimonialis prodierat ſecundum diſpoſitionem Canonum, ait ejus tempore Joan. Saresb. in *Ep. 12.* ſed eum forte confirmavit in *d. cap. 4.* Et eo magis intereſt Eccleſiæ, qui obtinuit Patrimonium illud a Clerico, nec obligari, nec alienari poſſe, ne mendicare teneatur, in opprobrium Cleri.

Secundo Sacri Canones ad ea etiam Clericorum bona reſpiciunt, quæ poſt Ordinationem acquiſierint. Nam in *cap. 3. ext. de pecul. Cler.* generaliter ad eam Eccleſiam pertinere dicuntur, ad quam ordinati fuerint; & quidem ſecundum Canonicam authoritatem: nihil enim frequentius in Sacris Canonibus, in Antiquis Rom. Impp. Conſtitutionibus, & in Capitularibus Regum noſtrorum: ejuſque juris meminit etiam Marculfus in *Formulis*. Ratio ea eſt, tum quia ex bonis Eccleſiæ acquiſita præſumuntur; tum quia cum ad eam Eccleſiam ordinati ſunt, videntur ejus ſervi, eique adeo addicti, ut quidquid ex ejus bonis acquirunt, ei acquiſiviſſe intelligantur. Hodie generalis eſt ea Lex Regni, omnia Clericorum

bona undequaque proveniant, poſt eorum mortem ipſo jure acquiri agnatis eorum heredibus, quod propius accedit ad *l.*34. *Cod.de Ep.& Cl.* & ad *l.us. Cod.Th. de bonis Cler.*

Duæ illæ leges facile ſuadent,aliquid ſubjiciendum breviter de teſtamentis, & legitimis hereditatibus Clericorum. Sed forte ſatius eſt de iis ſingulares titulos proponere.

TITULUS XXV.

De Teſtam. Cleric. & Monac.

NOvella Martiani Imp. habet tantum eam Epigraphen de *Teſtam. Cleric.* ſed ſicut in titulo præcedenti addidimus & Monachorum. Primo de Clericis. Ea *Nov.* eſt tantum de Teſtamentis in favorem Clericorum; qua de re Titulo 1.hujus libri: non etiam de Teſtamentis, quæ a Clericis ordinata ſunt, de quibus in *hoc tit.* agendum. Sequiori ævo teſtamentum generaliter aliquando accipitur pro quibuslibet inſtrumentis aut chartis, ut apud Reginonem *lib.2. de Diſcip. Eccleſ. cap.*401. *& in vita S.Mauri Abbatis num.*52. *&* 53. ſed fere ſemper, ac potiſſimum in hoc tractatu, illud eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.

Duplex eſt teſtamenti factio; altera eſt activa, ut loquuntur, quæ iis competit, qui ex legibus Teſtamenti faciendi poteſtatem habent: altera eſt paſſi-

va,

va, quam habent qui ex alieno Testamento aliquid quoquo modo capere possunt, de qua in *d. tit.* 1. hic autem de priori. Nec contemnendum est utrumque illud Ecclesiasticæ disciplinæ caput; quippe quod elegantissime probet, quænam fuerit veterum Clericorum puritas & sanctitas, quinam eorum contemtus circa res temporales.

Vel autem propria fuerunt Clericorum bona, vel ab iis quæsita post ordinationem. Constat semper eos testari potuisse de propriis, quæ quoquo modo ad eos pervenerint, *Can. Sicut, Can. Episc. Can. sint manifestæ* 12. *q.* 1. Extant antiquissima Episcoporum testamenta, quæ illud probant; sed omnino verius est eos debuisse testari secundum leges. Justinianus in *Antiqua versione Novellæ* 123. *cap.* 9. ait eos debere secundum leges donare, & in suis bonis testari. Sed Julianus Antecessor ait nominatim, & de iis secundum leges testari. Martianus in *d. Nov.* 5 ait eorum testamenta valere, si quidem omni Juris ratione firmata sint. Privilegium illud iis datum est, ut quamvis sint in potestate parentum (nam solus Episcopatus iis temporibus eam solvebat) de propriis bonis libere testari possint. Quasi de Castrensi peculio, ait Justinianus, in quo filiusf. habetur quasi paterfam. Sicut vero filiusfam. paganus Jure communi de eo peculio testamentum condere debet; ita & Clericus.

Sensim tamen Jus Canonicum multa ex iis solemnibus Juris Civilis remisit, & abrogavit, præcipue vero de numero testium. Alexander III. in *cap.* 10.

& 11.*ext.de Teſtam.* ſtatuit valere Teſtamenta, quæ facta ſint coram proprio Sacerdote ſeu Parocho, & tribus aut duobus teſtibus; quia, inquit, ſcriptum eſt; In ore duorum vel trium, ſtet omne verbum. Tres illos teſtes habere potuit a Leone Sopho, qui in *Nov.*41. & 43. generaliter voluit,tres teſtes ſufficere, in quibus locis alii fide digni deſint. Forte autem ideo Parochum adhibuit, quod valde interſit eos teſtes adhiberi teſtamentis, qui plane ſint fide digni; quales omnino poſt Deum eſſe Sacerdotes,ait Arthemidorus *lib.*2. *ὀνειροκριτικῶν, cap.*74. Alexandrinam hanc Conſtitutionem exſcripſerunt plures Galliæ Conſuetudines: ac licet generaliter edita ſit, attamen conſtat eam quoque obtinere in Clericis. Sed addendum eos teſtari non poſſe in favorem Ethnicorum aut Hæreticorum, quamvis ſint eorum conſanguinei, *Can.*25. *Carthag. Concilii apud Balſamonem*, & *Can.*81. in *Cod.Can.Eccl. Afric.*

Ac tandem cum Apoſtoli in *Can.*40. volunt,ut manifeſtæ ſint propriæ res Epiſcoporum, piiſſime addunt, ſi quas tamen proprias habeant: nam ſæpius, ut ordinati erant, propria bona vendebant, eorumque pretia dividebant pauperibus. Et hinc ut plurimum moriebantur inteſtati,quia pauperes Dei non habebant, unde facerent Teſtamentum,ut de S.Ambroſio, S.Paulinus; de S.Auguſtino Poſſidius, & de aliis bene multis, qui Evangelicam hanc puritatem ſequuti ſunt. Et hæc de propriis Clericorum bonis: quæque Canones habent de Epiſcopis, ea pertinent etiam ad Clericos, ut pluribus probat Thomaſſinus de

de *Eccleſ. Diſcip. parte* 1. *lib.* 4. *cap.* 19. *in fin.*

Nunc de aliis bonis. Ea vel ſunt Eccleſiæ, vel poſt Ordinationem quæſita ex peculio Eccleſiaſtico. Si ſint Eccleſiæ, expeditum eſt Clericos de iis teſtari non poſſe. Idem ſi de proviſione Eccleſiæ bona illa quæſierint: ſeu ſi per Eccleſiam aut ex reditibus Eccleſiaſticis. Nihil frequentius in Sacris Canonibus, & apud Gregorium Magnum in libris regeſti. Sane uno caſu de rebus Eccleſiaſticis teſtari poſſunt, eaſque propinquis ſuis relinquere, ſi quidem abunde in bonis habeant, unde omnino & ultra quam relictum ſit, indemnem ſervent Eccleſiam. Hodie receptum eſt in Gallia, ut Clerici & de fructibus ſuorum beneficiorum teſtari poſſint, & de iis quæ quoquo modo acquiſierint vel etiam ex iis fructibus, aut qualicumque occaſione Eccleſiæ.

Denique pauca de teſtamentis Monachorum: Utique olim eos quaſi veros cives teſtari potuiſſe, colligitur ex *l. un. Cod. Th. de bon. Cler.* atque ita ut eorum teſtamenta valerent, etiamſi a legum ſecularium ordine diſcrepare viderentur, ut eſt in ſecundo *Lugdun. Concilio Can.* 2. qui totidem verbis repetitus eſt in *Can.* 10. *V. Pariſ. Concilii*, quem intactum reliquit Clotarius II. in *Edicto ſuo ad illud Concilium.* Juſtinianus iis ademit teſtandi facultatem in *Nov.* 5. quod nihil haberent in bonis, & omnia eorum bona Monaſterio quæſita eſſent excepta legitima, quæ debetur eorum liberis ante Monachiſmum ſuſceptis, ait Gregorius Magnus, *lib.* 7. *reg. Indict.* 2. *Ep.* 7. Ex qua deſumtus eſt Canon *Quia ingredientibus* 19. *q.* 3.

quod ægre tulit Salvianus Maſſil. *lib.3. ad Eccleſ. Cathol.* Ant e Monachiſmum de ſuis bonis teſtari poterant; imo & in ipſo Monachiſmo inter ſuos liberos ante ſuſceptos, ſi modo virilem portionem Monaſterio ſuo reliquiſſent, *Nov.123.* Leo Sophus eam teſtandi facultatem iis utcumque reſtituit in *Nov.5.* Sed tandem generaliter invaluit, Monachos poſt ſuam profeſſionem non amplius teſtari poſſe. Utique Gregorius Magnus ex diſpenſatione cuidam Abbati conceſſit teſtandi poteſtatem de iis, quæ ante profeſſionem habuerat in bonis *lib.9.reg.Ep.22.* Sed ea diſpenſatio rejicitur in Gallia: nam ea poteſtas eſt Juris publici, & eſt tantum a lege civili, ut agnoſcit ille idem Gregorius in *d.Ep.7.* in quam nullæ ſunt Pontificis partes. Adde titulum *de Monachis in fine, lib.1.*

Leo Sophus in *Nov.68.* permiſit iis nominari executores alienorum teſtamentorum. Vix in antiquo Jure Civili occurunt executores teſtamentorum. Ea pendebant ab ipſis heredibus aut a fideicommiſſariis. Sed cum apud Græcos non incogniti eſſent ἐπίτροποι curatores, executores teſtamentorum, Imperio Byſantium translato, frequentiores eſſe cœperunt. Martianus Imp.in *d.Nov.5.* eos vocat diſpenſatores. Et ſtatim Epiſcopis data eſt ea executio, *l.nulli, 28. Cod. de Ep. & Cl.* Epiſcopi eam jure ſuo ſibi vindicarunt, atque ita ut ejus executionis cognitio Eccleſiaſticæ Juriſdictionis fuerit, quod tandem exolevit.

TI-

TITULUS XXVI.

De Legit. hered. Cler. & Monach.

IN Jure Civili elegans ea est ἀκολουθία consecutio, ut post testamentarias hereditates, statim legitimæ sequantur, quæ nempe a legibus deferuntur ab intestato. Nec tam male forsan Canonici Juris Authores eum quoque ordinem servant; cum eo devenerint Clericorum mores, ut olim quodammodo testari cogerentur, nec salvo epitimio, decedere possent intestati. Balsamon ad *Can.* 84. *Carthag. Concilii* ex Jure Civili definit, quinam dicantur intestati: non illi tantum qui nullum plane testamentum fecerint; sed qui non jure, aut etiam quorum testamentum jure factum infirmatur.

Cum autem Clerici moriuntur intestati, si quidem liberos, aut parentes, aut propinquos, aut uxores habeant; vel etiam ex antiquis Canonibus eorum hereditas iis defertur, & omnibus illis deficientibus, ea quasi vacans non amplius fisco vindicatur, ut olim obtinebat, sed eorum Ecclesiæ tanquam propriæ uxori, *l. un. Cod. Th. de bon. Cler.* & observanda sunt verba Clotarii II. in *Edicto ad quintum Paris. Concilium*: Cuicunque defuncto, si intestatus decesserit, propinqui absque contrarietate judicum in ejus facultates, juxta legem, succedant. Hoc integrum edidit Syrmundus; & ex eo innotescit, Clotarium prudentissime intactum reliquisse Ca-

nonem ejus Concilii de teſtamentis Clericorum, utpote antiquis Imperatorum Conſtitutionibus convenientem. Sed huic addidit legem ſuam de legitimis Clericorum hereditatibus, ut deferantur eorum propinquis ſecundum legem, puta Romanam: ut nullus judex, nempe publicus ſeu regius, eas in fiſcum cadere procuret, aut competentibus addicat, ideſt iis, qui bona vacantia petunt a Principe. In Gallia generalis eſt ea lex, ut Clerici parentibus ab inteſtato ſuccedant, & iis parentes, perinde ac laici, ait Loiſellus in *Inſtitut. conſuetud.*

Singularia quædam exempla occurrunt quorundam Monachorum, qui ſuis parentibus ſucceſſerunt. Imo & olim parentes liberis ſuis Monachis legitimam relinquere tenebantur in ſuis teſtamentis, *l.* 54. *Cod. de Ep. & Cl.* Eaque fiebat Monaſterii, nec Monachi illi ea uti poterant ad libitum. Salvianus Maſſil. *lib.* 4. *ad Eccl. Cathol.* probat eos privari non poſſe ſua legitima. Quod adhuc ſtatuit Juſtinianus in *Nov.* 123. & addidit, ut niſi parentes eam reliquerint, liberi Monachi eam ſuo jure capiant ab inteſtato. Ejus *Nov.* meminit Balſamon ad *Can.* 6. *primæ & ſecundæ Synodi Conſtantinopolitanæ.*

Regulariter iis ademtum eſt jus omne ſuccedendi. Vulgo etiam non habent legitimos heredes: omnia eorum bona, quæ Monaſterium ingreſſi vel induſtria ſua, vel ex teſtamento, vel ex liberalitate propinquorum quæſierint, ad illud pertinent, nec de iis diſponere poſſunt, *d. Can.* 6. Ludovicus Pius in ſuis *Capitular. lib.* 6. *cap.* 108. voluit, ut quamvis Monachi

nachi ante Monachismum liberes habeant, attamen post eum inductum, omnia eorum bona fiant omnino ipsius Monasterii. Utique Patrum & Imperatorum variæ fuerunt de ea re Constitutiones. Sed tandem invaluit, statim atque Monachi professionem emiserunt, omnia eorum bona legitimis eorum heredibus acquiri, perinde ac si eo ipso professionis momento decessissent intestati. Ac vix conceditur iis modicum aliquid concedere suo Monasterio in fraudem necessariorum heredum, quibus ea jure deberi ait Hieronymus.

De iis omnibus vide Thomassinum in *libris de Eccles. Disciplina circa Beneficia*, & Brodæum ad Louetium *litt. E. num.* 4. & alios.

CANONICI JURIS INSTITUTIONUM

LIBER TERTIUS.

TITULUS PRIMUS

De Actionibus seu Judiciis.

CUM totum fere Jus Civile in actionibus consistat, ideo Justinianus de iis longiorem titulum in suis Institutionibus dedit, quem in nostris illis omittere juvat; cum in Jure Canonico non ita subtiliter inquirendum sit, quænam actio instituatur, sed nude ac simpliciter Judici exponendum sit factum, exponenda rei gestæ veritas, *cap. 6. ext. de Judic.* Ubi Alexander III. quorumdam litigatorum intentionem rejicit, qui ejus tempore, ad Legum subtilitatem recurrere volebant, & ita inquirere adhuc in nomen actionum, ut paulo ante eum conqueritur Joannes Sarisber. in *Ep. 5.* ad Adrianum IV. Alexandri III. Decessorem.

Olim quidem Ecclesiasticæ lites Legum ordine servato etiam peragendæ, & finiendæ erant per actiones, *l. ult. Cod. Theod. de denunt. & edit. rescript.* Sed sensim invaluit in Jure Canonico solam facti veritatem proponendam esse in judicio, *cap. 1. ext. de do-*

do. & cont. & absque ulla subtilitate actionis; in conventionis libello exponendam esse solam litis & petitionis causam, *cap.ult. ext. de lib.oblat.* quod etiam docet Tancredus *lib.2. judiciarii ordinis cap.*13.& 17.Unde cum Ant.Augustino in *Epitome Juris Pont.* titulum hunc inscribimus,de actionibus seu Judiciis. Nam & judicia & actiones aliquando etiam promiscue usurpantur apud Jurisconsultos.

Judicia sunt disceptationes, quæ fiunt apud Judices, litium definiendarum gratia. Sed forte ad illud, Judices, addendum est,in Ecclesia: nam & Innocentius III. in quarta compilatione Decretal. ita inscribit,eum titulum de Judiciis in Ecclesia Catholica tribus præcipue personis constare, Judice, Actore, & Reo. Hic proprie Judex dicitur, qui tribunali præest, vel Jurisdictionem habet, *l.1. d. de Judic.* Et hinc cum in hoc *lib.*3. præcipue agendum sit de Ecclesiastica Jurisdictione; prima ea est inspectio, an Ecclesia Jurisdictionem habeat, quam suis Judicibus mandare possit. Constat quidem ei competere Spiritualem, quæ proprie est fori pœnitentialis, cum Christus Dominus ligandi & solvendi potestatem ei dederit. Sed quæritur, an forensem aut publicam habeat,de qua sola in hoc tractatu agimus. Primo enim Apostolus jubet Fidelibus Corinthiis, ut constituant Judices, qui de secularibus eorum negotiis cognoscant. Secundo ad *calcem Cod. Th.* datur titulus de Episcopali judicio,& in Justinianeo titulus de Episcopali audientia: ac tandem in libris Decretalium dantur plures tituli de officio & potestate

ſtate variorum judicum Eccleſiaſticorum.

Forte tamen veriſſima ſunt ea verba Jo: Gerſonis in *ſermone Juſtitiæ ad Regem Franciæ*. Status Eccleſiaſticus nullam habet Juriſdictionem, niſi dono terrenorum Principum. Et hinc veteres Galliæ Proceres apud Math. Pariſ. in *Henrico III.* ſcriptum illud edidiſſe dicuntur, in quo petebant ut Clerici, juxta ſtatum Eccleſiæ primitivæ, Juriſdictionem non habeant, videlicet publicam & forenſem. Primo enim Chriſtus D. dixit ſe conſtitutum non eſſe Judicem de forenſibus negotiis: Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo: ſuos Apoſtolos non dominari tanquam Principes ſeculi: nec litium voluit eſſe Judex, nec arbiter facultatum, ait S. Ambroſius ad *caput* 12. *Lucæ*. Apoſtolus quidem jubet Fidelibus, ut Judices ex ſeipſis potius conſtituant vel etiam contemtibiles, quam ut ethnicos Judices adeant: ſed ſecreta tantum erant ea judicia, ſeu quæ in ſecretis conventibus fiebant, apud Tertullianum in *Apolog. cap.* 39. & in *Can.* 74. *Illiberitani Concilii*. Nec veriſimile eſt, Apoſtolum ex Fidelibus conſtituere voluiſſe publicos Judices contra mentem & exemplum Chriſti Domini.

Præterea forenſis & publica Juriſdictio nihil aliud eſt, quam publica poteſtas judicandi de rebus forenſibus, & judicati exequendi. Unde Magiſtratus eam habentes in ſacris etiam Canonibus dicuntur paſſim publici Judices, ad differentiam Eccleſiaſticorum, quibus proprie poteſtas illa non competit, quique forum Legibus non habent, ait Valentinianus

nus in *Nov. sua de Episc. Judic.* Ac tandem forensis Jurisdictio abhorret a professione Clericorum, quibus turpe est si se peritos ostendant rerum forensium, *l.41.C.de Ep.& Cl.* Sensim tamen primi Impp.Christiani Episcopalem audientiam aut Episcopale judicium dederunt Ecclesiæ, ut inter Fideles de multis rebus judiciarie cognoscat. Ejus concessionis progressus omnino repetendus est ex variis eorum Imperatorum Constitutionibus in utroque *Cod.* & in eorum *Novellis*. Eaque potestas aucta aut etiam imminuta est juxta eorum captum aut studium, vel cultum in Ecclesiam.

Neque vero dicendum est, tractatum illum de Ecclesiastica Jurisdictione non satis convenire cum actionibus, ad quas tertium hunc librum pertinere jam scriptum est supra. Primo enim ea est Ant. Augustini Methodus, qui etiam in tertia parte sui juris Pontificii de variis judicibus Ecclesiasticis & de eorum potestate agit. Præterea in Jure Canonico sublata solemnitate & subtilitate actionum, satius est inquirere in officium & in potestatem judicum, apud quos persequi possimus, quod nobis debetur.

Denique cum Principes jurisdictionem dederunt Ecclesiæ, constat eos inspexisse solos Episcopos, ut illi tantum juri dicundo præessent; sed sicut ad rerum Ecclesiasticarum curam & administrationem œconomos habere jussi sunt; ita & vicarios in rebus Ecclesiasticis, atque etiam Officiales (qui & olim dicebantur œconomi, ut in *l.13. Cod.de Ep. aud.*) in forensi & contentiosa jurisdictione. Eoque fluxit Ecclesiastica

eleſiaſtica diſciplina., ut hodie non amplius fere ipſi Epiſcopi jus dicant,ſed eorum Officiales, ut ſuo loco videbimus.

TITULUS II.

De Foro Competenti.

OMnes utriuſque juris Compilatores poſt titulum de judiciis, ſubjiciunt titulum de Foro Competenti, ut ita doceant ubinam ea inſtituenda ſint. Nam & Legibus & Canonibus traditum eſt, non licere unicuique apud quodcunque forum voluerit,vel apud quemcunque Judicem agere,ait Balſamon ad *Can.*15.*Carthag.Concilii.*Forum hic proprie dicitur locus,in quo judicia fiunt, ait Feſtus. Eſt locus judiciorum, ait Quintilianus in *Declam.*274. *Editionis Pithœanæ*. Additur, Competens, ideſt ubi quis agere vel conveniri debeat, ait elegantiſſime Tribonianus in *Epigraphe tituli dig.de judiciis.* Et hoc valde pertinet ad ordinem judiciorum. Nam ſi Judex ſententiam dixerit in eum,qui ſit alieni fori, ea ipſo Jure nulla eſt, *to. tit.Cod.Si a non comp. Jud.* Cumque ſenſim Eccleſia Juriſdictionem propriè dictam habere cœpit,ſtatim etiam forum habuit, cujus jampridem meminit idem *Carthag. Concil. ſub Honorio Imp. in d. Can.*15. Sicut & Martianus in *l.*25.*Cod. de Ep. & Cl.* Unde cum Valentinianus in *Nov.*12. ſcribit, Eccleſiam non habere forum legibus, id eſt, non habere forum, per quod le-

ges

ges valeant, ut ibidem loquitur Quintilianus, seu per quod leges aut Jura civilia perducantur ad effectum.

Quamvis autem Jurisdictio & Forum se invicem consequantur, rectissime tamen dici potest Ecclesiam non ita statim fixum certum indictum habuisse forum, sed vacillans, incertum, & omnino pendens ex arbitrio litigantium. Hoc plane testantur ea Valentiani verba in *d. Nov.* 12. Diversorum sæpe causatio est, id est dubitatio de foro vel judicio Episcopali. Primo enim ex Constitutione Constantini Magni vel etiam Clerici apud Judices publicos agere aut conveniri poterant, & ab iis in qualibet parte litis petere, ut rejicerentur ad Episcopum. Sic etiam Arcadius & Honorius in *l.* 7. & 8. *Cod. de Episc. aud.* voluerunt, ut litigantes eligere possent Ecclesiasticum Judicem, qui inter eos cognosceret more arbitri sponte residentis, ideſt, in quem velut in arbitrum Partes nuda conventione, & nulla stipulatione pœnali adhibita, compromisissent, ut in *l.* 5. *C. de recept. arb.* Tertio Valentinianus voluit *d. Nov.* 12. Episcopos judicare non posse, nisi præeunte vinculo compromissi, ideſt, nisi ex compromisso quod Jure perfectum sit, *l.* 1. *C. Theod.* Quarto Martianus in *l.* 13. *Cod. de Ep. & Cler.* hoc pendere voluit ex arbitrio actoris. Unde cum vetus interpretatio *d. Nov.* 12. ait eam *Novellam* a Majoriano sublatam fuisse, forte legendum est, a Martiano, quia nullam Majoriani legem de ea re habemus. Ac tandem Justinianus pleraque addidit, & immutavit.

Sed

Sed ut certius aliquid conſtituatur de foro competenti Clericorum, omnes fere Sacri Canones conveniunt in eam regulam: Vel Clericus contra Clericum agit, vel Clericus contra Laicum, vel Laicus contra Clericum. Primo caſu *Calched. Concilium* in *Can.* 9. ſtatuit, ut Clericus non deſerat proprium Epiſcopum, ideſt omnino apud eum litem inſtituat, *cap. ext. hoc tit.* Et verba ejus integri Canonis indicant, eam pertinere tantum ad civilia negotia. Cumque nec etiam definiat, quis ille ſit proprius Epiſcopus, Joan. Andræas recte addit, eum eſſe rei ſeu defenſoris, juxta receptiſſimam juris utriuſque regulam, Actor ſequitur forum rei, ut eum vocet in jus ad eum judicem, cujus juriſdictioni ſubjacet; nec enim alium adire poteſt abſque contemtu proprii illius Epiſcopi, ait Zonaras. Omnes fere Sacri Canones ſequuti ſunt Calched. illud Decretum. In eo additur, litigantes Clericos de conſenſu proprii Epiſcopi apud alios judices agere poſſe, quos elegerint; adde, qui jam ſint judices, ſeu qui aliam juriſdictionem habeant, *l.* 1. *d. de judic.* Privati enim non poſſunt creare Judices. Sed cum addit Balſamon, apud alios ideſt Eccleſiaſticos, forte illud eſt contra mentem ejus Concilii, & aliorum Veterum, ut mox videbimus.

Secundo caſu olim Clericus Laicum ad ſecularem Judicem attrahere ſeu in Jus vocare non poterat, abſque ſui Pontificis permiſſu, ut optime legunt Romani Correctores in *Can. Clericus* 3. 11. *q.* 1. Sed cum ſuſpecta ſit Marcellini Epiſtola ſecunda, cui Gra-

Gratianus eum Canonem adscribit, tribuendus videtur tertio Aurelian. Concilio, in quo verba ejus Canonis absque ulla suspicione leguntur. Sed omnino recepta est ea regula, ut Clericus laicum in seculari foro convenire debeat, vel etiam non petita venia: casus ille fusius exponetur in *tit. seq.*

Tertio casu laicus actor Clericum reum convenire debet apud Ecclesiasticum Judicem, juxta regulam, Actor sequitur forum rei. Sequens titulus docebit, qualitatem negotii aliquando inter Clericos facere forum competens. Sed cum vulgo receptum sit, ut in pluribus causis Clerici solum habeant forum Ecclesiasticum, disputatum est an huic renuntiare possint, & consentire in alios Judices. In Jure civili lex Julia judiciorum privatis permisit convenire & consentire in alienum Judicem, vel etiam sine consensu proprii, *L. 1. & 2. d. de judic.* Ac forte verius est non aliter eam conventionem valere, quam si statim adierint alienum hunc Judicem, *L. si convenerit 18. d. de Jurisd.* Sub Justiniano dubitatum est, an Sacerdos cum alio quolibet contrahens in conscribendo ejus contractus instrumento renuntiare possit huic foro, quod habet propter Sacerdotii prærogativam, & ratione illius contractus consentire in alium Judicem. Movebat sane, quod ita satisfactum non esset legi Juliæ, cum desideret aditionem alieni Judicis, quam non ponit Justinianus. Et tamen contra constituit servandam esse illam conventionem, in *l. 51. Cod. de Episc. & Cl.* quæ repetita est in *l. pen. Cod. de pact.* Plures affert rationes; sed duas omnino

elegantiſſimas, quæ diſſentientium Clericorum ſanguinem ſuffundere debent; & quia non licet venire contra ſua pacta, turpe eſt datam fidem fallere: & quia contrahentes decipere non licet.

Sed Innocentius III. *in cap. ſi diligenti 12. ext. hoc tit.* reſcribit, Clericum Eccleſiaſtico foro ita renuntiare non poſſe, ut in ſecularem Judicem conſentiat, eamque renuntiationem ipſo Jure nullam eſſe, quamvis in judicio facta, & juramento confirmata ſit. Tum quia, inquit, Jus publicum privatorum pactis mutari non poteſt. Quod autem Clerici apud ſolos Judices Eccleſiaſticos conveniri poſſint, illud eſt Juris publici, quod toti Ordini & Collegio Clericali conceſſum eſt. Ergo ſingularis quidam Clericus huic derogare non poteſt. Tum quod ſacri Canones ſevere puniant eos Clericos, qui apud ſeculares Judices agant, quaſi male ſentiant de tota Eccleſia, qui Eccleſiaſticos Judices fugiunt & rejiciunt. Utramque hanc rationem eleganter refellit Cujacius ad *d. cap.* 18. Et vix quiſquam inficiari poteſt, fucatam eſſe primam; & alteram eſſe omnino contra ſacros Canones abunde probatum eſt, ubi de Clericis aliquando ad publicos Judices conveniendis.

Sed quæritur, an ſaltem Clericus propriæ Jurisdictioni renuntiare poſſit & conſentire in alium Judicem Eccleſiaſticum? Nam eo caſu dici poteſt nihil convelli de authoritate Canonica, cum poteſtas illa judicandi domeſticis fidei defertur, ut in ſimili loquitur Marculfus in *form.* 1. Et tamen Gregor. IX. in *cap.* 18. *ext. hoc tit.* reſcribit, ut ita Clericus in

alie-

alienum Judicem Ecclesiasticum consentiat, eum opus habere consensu Diœcesani Episcopi. Rationem hanc affert Callixtus primus in *Can.* 1. & 3. 9. *q.* 3. Qui Ordinare non poterit, quomodo judicabit? quasi diceret, alienus Episcopus alienum Clericum ordinare non potest absque consensu proprii Episcopi: ergo nec aliter etiam Jus dicere.

Addit Pontifex in *d. cap.* 18. privatorum consensum constituere posse alienum Judicem, non etiam Clericorum: & ibi laicos vocat privatos, qui privati proprie dicuntur, qui remoti sunt a publicis officiis, ait Isidorus *lib.* 8. *Orig. cap.* 4. Laici autem in Ecclesia, nulla dignitate suffulti sunt, ait Optatus *lib.* 1. *contra Parmenianum.* Ideo vero laici non egent consensu proprii Judicis, ut alienum eligant, quia lex Julia illud iis permittit, *d. l.* 1. & 2. *d. de jud.* sed ideo Clerici opus habent consensu Diœcesani Episcopi, quia Sacri Canones vetant ne eum deserant, *d. cap.* 1. *hoc tit.* Hodie utimur eo Jure, ut si de crimine agatur, Clericus renuntiare non possit privilegio Cleri; possit autem in civili negotio. Vide Cujacium ad *Nov. de Monachis.* Raguellum & Mornacium, ad *d. l. pen. Cod. de pact.*

TITULUS III.

De Privatis aut Civilibus Judiciis inter Clericos.

IN Jure & in Facto errant, qui volunt publicos ſeu ſeculares, & Regios Judices, directam Jurisdictionem non habere in Clericos. In Jure legant eam legem Apoſtoli, Omnis anima ſublimioribus Poteſtatibus ſubdita ſit, & interpretationem Chryſoſtomi ad eam legem, Etiam Epiſcopus vel Pontifex. In Facto, quatuor aut quinque tituli hujus libri ad eam rem pertinentes eos forte convincent, ſi Scholaſtica quædam commenta rejicere velint.

Totius Juris noſtri ſumma diviſio eſt, in privatum & publicum: illud ad ſingulorum & privatorum utilitatem ſpectat, publicum vero ad ſtatum Reipub. Hinc fluxit judicia vel eſſe privata vel publica, de quibus omnibus legem judiciariam tulit Julius Cæſar. In privatis tractantur cauſæ Juris privati: in publicis cauſæ Juris publici. Ant. Goveanus ex privatis facit Juriſdictionem civilem, ex publicis criminalem. De civili tum primum in hoc titulo agendum eſt, cum ea prius etiam data fuerit Eccleſiæ; ac videndum ſtatim quandonam & quomodo eam habere cœperit.

Cum in quadam colonia inſtituitur Juriſdictio, non tantum ei aſſignantur certi quidam fines, ut docent Authores finium regundorum: ſed ejus etiam

Ju-

Judicibus certarum cauſarum cognitio adſcribitur ; Lampridius de Alexandro Severo, juſſit quid ad quos Judices pertineret . Addendum, ne uſurpatio judicia legeſque confundat, aut Judicibus ordinariis adimat propriam notionem , ut eſt in *l.2. Cod. Th. de Juriſd.* Hoc omnino præſtitit Conſtantinus Magnus in Eccleſiaſtica Juriſdictione (& quidem forenſi , ut diximus toties) Primus eam inſtituit ſolemni edicto, quod ſane non extat , ſed ejus ille ipſe meminit in *l.1. Cod.Th.de Ep.judic.* ſicut & Euſebius & Sozomenus ; nec forte adeo ſuſpecta eſt fides ejus legis primæ , quam in partes diſcerptam Gratianus habet *cauſa* 11. *quæſt.*1.

Hoc, inquam, tum primum præſtitit in eo edicto , cum nempe voluit Epiſcopos haberi tanquam veros Judices : eorum ſententiis dedit vim & authoritatem rei judicatæ,& ut a majoribus Magiſtratibus perducantur ad effectum : eodem etiam ſermone aſſignat territorium,puta Parochiam aut Diœceſim cujuslibet Epiſcopi,quod ſæpius ac ſæpius declararunt ſacri Canones . Ac tandem addidit latiſſimam cauſarum cognitionem iis verbis : Omnes itaque cauſæ (addendum, non modo Eccleſiaſticæ , ſed etiam civiles) quæ vel Prætorio vel Civili Jure tractantur , Epiſcoporum ſententiis terminatæ , perpetuo ſtabilitatis Jure firmentur. Fons ille eſt, primaria inſtitutio Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & quidem Civilis, de qua ſola eſt ſolemne illud edictum , & de Privatis aut Civilibus Cauſis. Nec dicendum eſt,ex iis Conſtantini verbis Judices Eccleſiaſticos non habere Juriſdictionem

risdictionem proprie dictam ; cum illi ipsi, Judicum pedaneorum instar , sententias suas exequi non possint . Nam illud ita obtinuit , quod cum non essent Imperiales aut publici Magistratus,nec apparitionem haberent, nec manum militarem , seu nec ea quibus sententiæ Judicum mandantur executioni:sed omnino verum est,eas adeo habuisse vim rei judicatæ , ut ab iis appellare non liceret ; quod plane indicat latas illas fuisse ab iis, qui veram haberent Jurisdictionem.

Cum autem Ablavius tunc temporis Præfectus Prætorio vidit novam Episcoporum Jurisdictionem institui , quæ Imperialem imminuebat , consuluit Constantinum quomodo edictum illud accipere & exequi deberet . Constantinus in *d.l.*1. *Cod.Th. de Ep.jud.* (cujus legis meminerunt Sozomenus & Nicephorus Callixtus,quam etiam ut veram agnoscunt Carolus Magnus, Burchardus, Ivo Carnot. & Innocentius III.) tria rescripsit. Primo, ut si duo Clerici agant apud secularem Judicem , alter quocumque tempore alium etiam invitum trahere possit ad Episcopale judicium , ad quod Judex ille utrumque rejiciat. Secundo , ut Magistratus Episcoporum sententias exequi teneantur. Tertio,ut ab iis appellare non liceat.

Constantini sui edictum sequutus videtur ejus æqualis Silvester I. in *Can. nullus* 32. 11. *quæst.*1. In quo sic habet: Nullus Clericus , vel Diaconus , vel Presbyter,propter quamlibet causam ntret in Curiam , nec ante civilem Judicem causam

suam

suam dicere præsumat. Quidam Canonem illum rejiciunt quasi suppositum: alii eum valde interpolatum esse volunt. Sed plures Viri magni eum agnoscunt. Primo extat in secunda Synodo Romana sub Silvestro I. Anastasius Biblioth. Luitprandus Ticin. Abbo Floriac. eum exscribunt in ejus vita; sicut & Compilator Legum Longobardic. & Gratianus, Romani Correctores, & Janus a Costa eum retinent & expendunt.

Amplissimam hanc potestatem in multis temperarunt Constantini Successores, eamque coarctarunt ad causas religionis, disciplinæ Ecclesiarum, bonorum Ecclesiasticorum, & ad eos ipsos Clericos pertinentium, conversationis, & morum.

Primo igitur sicut Ethnici Pontifices de sua Religione cognoverunt, apud M. Tullium: & Archi-Synagogi & Patriarchæ Judæi de suis Cæremoniis, *l. Judæi* 13. *Cod. Th. de Judæis.* Ita & semper Ecclesia potestatem illam suo Jure habuit, ut de Religione cognoscat. Imo & Honorius & Arcadius in *l.* 1. *Cod. Th. de Relig.* & Valentinianus III. in *Nov.* 12. scribunt, Ecclesiasticos Judices cognoscere tantum posse de causis Religionis. Quænam illæ sint, docet S. Ambrosius in *Epist.* 13. videlicet causæ fidei, & alicujus Ecclesiastici Ordinis; & addit, de causis fidei nunquam judicasse laicos. Unde & veluti κατ' ἐξοχήν, dicuntur causæ Ecclesiæ judicio Episcopali definiendæ, apud Sulpitium Severum *lib.* 2. *sacræ Hist. circa finem.*

Secundo, S. Ambrosius causis fidei jungit causas

alicujus Eccleſiaſtici Ordinis, puta, inquit, ut Sacerdotes judicent de Sacerdotibus, non etiam laici, præcipue vero cum de eorum fide agitur. Eum Ambroſii locum expendemus fuſius *tit.7.*

Tertiò, ſunt cauſæ ad Religionis obſervantiam pertinentes, ut eſt in *l.qui mos eſt* 23. *Cod. Th. de Epiſc. & Cl.* quod Jac. Gothofredus accipit de cauſis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, ut a Synodis audiantur. Quales illæ ſint, videbimus etiam ibidem.

Quarto, ſunt cauſæ Eccleſiæ, ut in *l.ult. Cod. Th.de denunt.& edit.reſcr.* ſeu negotia Eccleſiarum, in *Can.97. Cod.Africani*. Puta de earum ſtatu, terminis, immunitatibus, privilegiis, ſtatutis, conſuetudinibus, & aliis hujuſmodi, quæ pertinent ad eas ipſas Eccleſias, quæque omnino ſunt Epiſcopalis Juriſdictionis.

Quinto, controverſiæ de bonis Eccleſiaſticis huic etiam foro ſubjacent. Nihil frequentius in ſacris Canonibus, & in libris Decretalium; idem de propriis Clericorum bonis & negotiis: ſic enim Eccleſiaſtica negotia diſtinguuntur a propriis Clericorum, in *l.*15 *.Cod.de Epiſc.& Cler.*& in *l.*13. *Cod.de Epiſc.aud.*

Denique Clericalis converſatio ejuſdem eſt fori. S.Ambroſius in *ead. Epiſt.* Valentinianum ſeniorem conſtituiſſe ſcribit, ut examen morum Epiſcopi ad Epiſcopale judicium pertineat. Quod etiam de omnibus Clericis probant omnes Canones de vita, & honeſtate Clericorum.

Fere omnes illæ cauſæ varios habuerunt exi-

tus,

tus, varia temperamenta pro vario captu priorum Imperatorum : ſed conſtat eas tum primum aſſignatas fuiſſe Juriſdictioni Eccleſiaſticæ, eaque prima fuiſſe illius fundamenta, quæ Pontifices altius tollere curarunt in dies. Atque ita ut ei quarumlibet rerum cognitionem addicerent, ut videbimus *tit.6.*

Sed huic uſurpationi Chriſtianiſſimi Reges varie conſuluerunt, ut Eccleſiaſtici Judices cognoſcant tantum de rebus ad Religionem & ejus obſervantiam pertinentibus, de rebus ſpiritualibus, de rebus omnino Eccleſiaſticis, de civilibus Clericorum cauſis, quæ actione in perſonam peragantur : ac ſi de aliis cauſis cognoſcant, reſcindantur eorum ſententiæ per appellationem tanquam ab abuſu, quaſi contra ſacros Canones & Leges Regni poteſtate ſua in iis abutantur.

TITULUS IV.

In quibus cauſis Clerici civiliter agere vel conveniri poſſint apud Judices publicos.

CONſtat, Clericos in rebus ad Chriſtianam ſanctitatem aut Religionem pertinentibus ſemper habuiſſe ſuos Judices, puta Epiſcopos, quibus nihil commune erat cum publicis, *L.3. Cod.Th. de Epiſc. jud.* Sed cum habere cœperunt res proprias, de quibus ſupra, quinam de iis cognoſcerent, varie cautum eſt a Legibus & Canonibus.

Ille ipſe Conſtantinus Eccleſiaſticæ Juriſdictionis

nis author indicat, Clericum, qui de iis rebus litem habeat, ſive, inquit, petitor ſit, ſive poſſeſſor, apud Judices publicos agere vel conveniri poſſe. Cum nempe ſtatuit, eum in quacunque parte litis apud eos inſtitutæ petere poſſe, ut ab iis dirigatur ſeu rejiciatur ad Epiſcopum, *L.* 1. *ibid.* Quia, inquit, multa quæ in judicio (civili aut ſeculari) captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiantur, inveſtigat & promit Sacroſanctæ Religionis authoritas. Et ibi captioſa præſcriptio eſt moratoria dilatio, *l.* 3. *Cod. de div. reſ.* quæ dicitur etiam eleganter obſtaculum artificioſum in *l. un. Cod. Theod. de dom. rei quæ poſcit.* S. Bernardus *lib.* 1. *de conſid. cap.* 10. Pontificem monet, ut in judiciis Eccleſiaſticis moratorias illas dilationes præcidat: quæ cum ſæpius liberæ in Jure civili concederentur, ætates plerumque jurgantium veternoſis litibus conſeneſcebant, inquiunt Imperatores in *l. un. Cod. Th. de dilat. ex conſ.*

Hoc etiam evincunt Conſtantini Succeſſores, qui compromiſſum deſiderant, ut Judex Eccleſiaſticus de iis negotiis cognoſcat. Ergo non interveniente compromiſſo ea erant ſecularis Juriſdictionis. De eo compromiſſo agetur infra *tit.*

Iis addenda ſunt ea verba veteris illius interpretationis, quæ ſubjicitur *Novellæ Valentiniani de Epiſc. jud.* Si quis laicus Clericum per authoritatem udicis ad publicum provocaverit, pulſatus ſine dilatione reſpondeat. Nec multo poſt: Clericus, ſi aliquem lite pulſaverit, in foro illius, quem in judicio provocat, audiatur. Ea ipſa occurrunt in quibuſdam

Con-

Conciliis, cum sæpius apud veteres tanti esset ea interpretatio, quasi *Cod. Th.* partem faceret. Quædam ex iis expendamus breviter, ut innotescat olim Clericos adire potuisse publicos Judices.

Sub eodem Valentiniano Andegavensis Concilii Patres in *Can. primo* sic loquuntur: Clericis non liceat inconsultis Sacerdotibus suis, idest Episcopis, secularia judicia expetere. Ergo licebat ex eorum permissu.

Eodem fere tempore (quo vetus ea interpretatio prodiit circa initium sexti Seculi) Agathense Concilium in *Can.* 32. sic habet: Clericus ne quemquam præsumat apud secularem Judicem, Episcopo non permittente, pulsare. Sic legit Syrmundus de Clerico actore. Gratianus in *Can. Clericum* 11. *q.* 1. legit: Clericum nullus præsumat, de Clerico reo. Ivo Carnot. primam lectionem habet, eamque probant Rom. Correctores. Ergo Clericus, Episcopo suo permittente, agere potest in foro publico. Et sacri Canones licentiam hanc iis facile concedendam censent, qui Jus suum persequitur contra laicum, & forum rei sequitur.

Additur in *eod. Can.* 32. Sed qui (nempe Clericus) pulsatus fuerit (apud secularem Judicem) non respondeat vel proponat. Sic legunt Ivo & Gratianus. Sed Syrmundus legit, respondeat, non proponat; & rectissime lectionem illam probat ex *Can.* 11. *Epaonensis Concilii circa idem fere tempus*: Sed si pulsati fuerint Clerici ad seculare judicium, sequi non morentur, Eam quoque lectionem valde confirmat

firmat vetus ea interpretatio *d. Nov.* 12. quæ ſic habet. Pulſatus Clericus ſine dilatione reſpondeat. Additur in *d. Can.* 32. Non proponat, ideſt mutuam petitionem non inſtituat, ut palam eſt, ex *Nov.* 96. *in fin.*

Ex iis omnibus ea diſciplina colligitur ejus ætatis, ut ſi Clericus aliquem laicum in Jus vocare velit ad ſecularem Judicem, neceſſarius ſit Epiſcopi permiſſus: ſi autem conveniatur, Epiſcopalis conſenſus nulla fiat mentio. Et forte ratio differentiæ ea eſſe poteſt: quia veteres Sacri Canones nominatim prohibent, ne Clericus deſerat proprium Epiſcopum, aut in foro Seculari agat, ideoque neceſſaria fuit gratia aut licentia Epiſcopi. Nihil vero addunt, ſi ipſe ab adverſario laico vocetur ad illud forum, quo caſu neceſſaria illa non eſt; quia leges & Canones volunt, ut ſine mora & dilatione ſequatur, & reſpondeat. Unde cum illud ita obtineat ex indulgentia Canonum, neceſſarius non eſt Epiſcopi conſenſus.

Sed non multo poſt in tertio Aurelianenſi Concilio *Can.* 32. mutua fit prohibitio, ne Clericus actor Laicum reum, vel Laicus actor reum Clericum ad publicos Judices vocare poſſit, abſque permiſſu Pontificis; ac ſi verum amamus ea etiam ipſa mens eſt *IV. Aurelian. Concilii* (tribus aut quatuor annis poſtea) *Can.* 20. ubi, abſque Presbytero aut Archidiacono nihil aliud eſſe videtur, quam abſque licentia Presbyteri aut Archidiaconi.

Et hinc omnino ſequitur, vel etiam ex antiquo

Ju-

Jure Canonico, Clericos agere vel conveniri potuisse apud Judices publicos, saltem ex permissu aut licentia Diœcesani Episcopi. Hodie omnino etiam recepta est ea regula, ut Clericus Laicum in seculari foro convenire debeat, nulla petita venia, & quidem juxta receptissimam hanc juris utriusque regulam, Actor sequitur forum rei.

Sensim etiam invaluit in Gallia, laicum Judicem de interdictis seu de causa possessionis cognoscere, vel etiam in rebus Ecclesiasticis, & inter ipsos Clericos, ut titulo sequenti videbitur.

Clerici etiam de laico Patronatu agunt & conveniuntur apud Judices regios, ut fusius olim scripsi ad *tit. de Jur. Pat. in Proleg. cap.* 39. Idem de feudis Ecclesiasticis: nam & illi ipsi Pontifices Clericum de Seculari feudo agentem rejiciunt ad Laicum ejus feudi dominum, quasi ad verum Judicem, *cap.* 6. & 13. *Ext. de judic. cap.* 6. *Ext. de for. Comp. cap. pen. Ext. de ord. cog.* quibus addi possunt *Epist.* 128. *Innocentii III. lib.* 2. *reg.* & *Epist.* 208. *apud Quercetanum to.* 4. *histor. Franciæ.* Idem Juris, si reus sit Clericus, ut nempe in ejusdem domini curia respondeat, inquiunt Siculæ Constitutiones *lib.* 1. *tit.* 65. *cap. un.* Et hinc in Gestis S. Ludovici ad *ann.* 1245. inter causas excommunicationis, quæ in *Concilio Lugdun.* Contra Fridericum II. lata est, ea refertur: quod exequi noluerat eam Ecclesiæ legem, ex qua Clericus apud Secularem Judicem conveniri non potest, nisi propter feudum, quod civiliter tenet, ideſt a laico. Sed in Gallia soli Judices laici de omnibus feudis cognoscunt,

ſcunt, ſive ſint Eccleſiaſtica, ſive laica, ſive a Clericis, ſive a laicis teneantur, quia ſunt omnino temporalia & patrimonialia. Vide Notam Caroli Molinæi ad *d.cap.5. Ext.de judic.*

Sic etiam Clerici de decimis Infeodatis apud ſolos Judices laicos agere aut conveniri poſſunt; & quia ſunt plane temporales;& quia poſſeſſores eas ab ipſo Rege in feudum accepiſſe præſumuntur, cui ab Eccleſia tum primum ita datæ ſunt.

Ac tandem Clerici ad forum laicum vocari poſſunt pro recognitione Scripturæ. Ex Jure Canonico ea recognitio inter Clericos, facienda eſt apud Judicem Eccleſiaſticum, *cap.1. §.ult. & ibi Gloſſa, de for. comp. in Sexto*. Sed in Gallia receptum eſt, eam fieri tantum apud laicum, ex Conſtitutione *an.1539. artic.92.* ad quam videndus Brodæus ad Louetium *lit.L.num.15.*quod & in Anglia receptum eſſe,palam eſt ex ejus legibus, *toto libro 7.*

TITULUS V.

De cauſa poſſeſſionis & proprietatis.

CUm in judicio vel res,vel perſona conveniatur, *l.19. d.de jur.fiſ.* hinc ſumma illa diviſio actionum prodiit, ut aliæ ſint in rem, aliæ in perſonam. Actio in rem eſt,per quam vindicamus rem noſtram, quæ ab alio poſſidetur, eaque ſemper in eum datur. Actio in perſonam, qua cum eo agimus,qui nobis obligatus eſt ad aliquid dandum vel faciendum, & ſem-

& ſemper in eum datur, *l.* 25. *d. de oblig. & act.* Ac licet in Jure Canonico exoleverit actionum ſcrupuloſitas, attamen contemnenda non eſt ea diviſio, & earum actionum natura: præcipue vero in tractatu de Juriſdictione, & de foro competenti, ut nempe innoteſcat ubinam inſtituendæ ac peragendæ ſint, atque etiam quale in iis officium Judicis eſſe debeat.

Quando actiones illæ Clericis aut contra Clericos competunt, nec leges Imperiales nec Canones diſtinguunt, in quonam foro inſtituendæ ſint; & generaliter volunt, ut in civilibus cauſis Eccleſiaſtica ſequantur. Sed Carolus Magnus in *legibus Longobardorum*, *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 11. ſtatuit, ut Clerici de ſuis perſonis ſeu actione in perſonam conveniantur apud Eccleſiaſticos Judices, & actione in rem apud temporalem Judicem Diœceſani Epiſcopi, qui cum Aſſeſſore Judicis laici Jus dicat. Apertius omnino Guillelmus Rex Siciliæ in *legibus Siculis lib.* 1. *tit.* 42. & 63. ſtatuit, ut Clerici actione in perſonam conveniantur tantum apud Eccleſiaſticos Judices, & actione in rem apud laicos. Eam diſtinctionem ſequutus eſt Franciſcus I. Rex Galliæ. Ratio differentiæ ea eſſe poteſt, quia perſona Clerici omnino Eccleſiaſtica eſt, & per Ordinationem mancipata Eccleſiæ: ſed res ſunt ſub Imperio Principis, & Juriſdictione Regii Magiſtratus, *Can. quo jure diſt.* 8. atque etiam Clerici per jura Regum poſſident poſſeſſiones, ait Hincmarus Remenſis in *Ep.* 9. & ita convenit, ut Reges eorumve Magiſtratus de iis poſſeſſionibus cognoſcant. Olim quidem Carolus Magnus

in

in actione in rem non distinguebat inter res Clericorum proprias, & inter Ecclesiasticas: ejusque disciplinæ quædam exempla occurrunt apud Adrevaldum Floriacensem Caroli Magni æqualem, & ut volunt, Agnatum, aut Gentilem in *libro de miraculis S. Benedicti*. Sed hodie actio in rem de rebus Ecclesiasticis instituenda est etiam in foro Ecclesiastico.

Verum in reali controversia ut plurimum vertitur causa proprietatis & possessionis, quæ utraque nihil commune habet, *l. naturaliter 12. §. 1. de acq. vel amit. poss.* quod potissimum innotescit in modo persequendi: nam proprietas vindicatur actione in rem, quæ ideo dicitur Jus dominii, de cujus foro actum est supra. Sed de possessione agitur interdictis, quæ nihil aliud sunt, quam judicia possessoria, in quibus actor vel alicujus rei possessionem adipisci contendit, vel eam conservare, vel amissam recuperare. Ex receptis Juris Canonici regulis, si Clerici de quarumlibet rerum possessione interdictis agere velint, ea omnino instituenda sunt apud Judices Ecclesiasticos, & utrumque judicium, puta petitorium & possessorium, seu actionem in rem & interdictum, apud eos aut simul, aut seorsim, instituere possunt. Unde *lib. 2. decretal.* extant varii tituli, in quibus Summi Pontifices & Episcopi cognoscunt de possessione quarumlibet rerum.

Sed aliter obtinet in Gallia: nam Clerici quodlibet judicium possessorium etiam de rebus Ecclesiasticis instituere debent apud seculares Judices: quod & in Anglia obtinuisse docet *cap. 7. ex. qui fil. sint legit.*

git. & in Germania, Petrus de Vineis *lib.* 5. *Ep.* 121. Ratio ea eſt, tum quia poſſeſſio eſt quid temporalis & humani Juris; Rex autem Chriſtianiſſimus in temporalibus nullum habet ſuperiorem, *cap.* 13. *ibid.* tum quia Clerici per Jura Regum poſſident poſſeſſiones, ut jam diximus: ergo eas tueri debent; quod præcipue vertitur in eo judicio. Eorum Judicum officio incumbit, ut ei ex litigantibus dent poſſeſſionem, qui potiori Jure nitatur, ut lite pendente rem litigioſam poſſideat.

Ea eſt ſententia de recredentia, ideſt de reddita aut reſtituta poſſeſſione, apud Ivonem in *Epiſt.* 197. & 275. & Gaufridum Vindocin. *lib.* 2. *Epiſt.* 30. Atque etiam Clericum illum in ea poſſeſſione pleniſſime tueri poſſunt, & prohibere, ne quis eum turbet, quæ eſt definitiva ſententia, *cap. ult. ext. de judic.* Et dicitur ſententia pleniſſimæ tuitionis, quæ cum dicta eſt in quæſtione beneficiali, non amplius hodie licet judicium petitorium inſtituere apud Judicem Eccleſiaſticum, quia ferri non potuit ea ſententia niſi examinato titulo; cum Eccleſiaſtica beneficia obtineri non poſſint abſque Canonica inſtitutione ſeu Canonico titulo: durum autem & grave eſſet eum adhuc a Judicibus Eccleſiaſticis examinari.

TITULUS VI.

De Laicis, an & in quibus cauſis Eccleſiaſticæ Juriſdictioni ſubjaceant.

EJus tituli Authores mihi ſunt duo pacis decora D.Maiſtræus Protopræſes, & D.de Marca in ea exercitatione, quam promiſerat de Canonicis judiciis in laicos. Utinam mihi affulgeret utraque lex illa ad illuſtrandam Juriſdictionis illius originem, progreſſum, & hodiernam mutationem.

Cum naſcentis Eccleſiæ temporibus quidam Fideles apud Ethnicos Judices litigarent, Apoſtolus illud ægre patitur, eoſque monet ut potius contemtibiles ex ſuis ad judicandum conſtituant, quam ut adeant Ethnicos illos Judices. Hinc Fideles cujuſcumque conditionis, omnes ſuas lites deferre cœperunt Eccleſiæ, ut terminarentur, vel etiam privati, ideſt laici, ut jam olim probavimus. Tertium *Carthagin. Concilium*, ita illud Apoſtoli accepit in *Can.*9. quem Gratianus exſcribit in *Can.Placuit.*42. *in fin.*11. *q.*1. iis verbis: Cum privatorum etiam cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atque ibidem determinari præcipiat. Sane integrum illud Concilium ultima illa verba non habet in *Cod.Can.Eccleſiæ Afric.*in *Cod.Can.Dionyſii Exigui, in Decreto Ivonis Carnot.* Sed omnes fere Codices Gratiani ea exſcribunt, eaque probant & retinent Contius & Romani Correctores, nec ſine ratione.

Pri-

Primo enim Alexander I. iis utitur in *Can. relatum, ibidem*, qui deſumtus eſt ex ejus Epiſtola prima, in qua Blondellus ea ipſa verba legit abſque ulla nota, quam quæ huic Carthag. Concilio ea verba tribuit. Secundo, antiquiſſimam hanc diſciplinam adſtruunt Author *Conſtitutionum Apoſtolic.* Origenes, Tertullianus, & Illiberitanum Concilium.

Cum ad Chriſtianos Principes venit Eccleſia, ut loquitur S. Hieronymus, Eccleſiaſtici Judices dati ſunt Clericis, & Laicis publici. Honorius & Arcadius Conſtantini Nepotes in *l. 7. & 8. Cod. de Epiſc. aud.* volunt, ut Fideles omnes ex mutuo conſenſu apud Epiſcopos litigare poſſint; quod quid ſit, olim diximus. Sed Valentinianus in *Nov. 1. de Epiſc. jud.* voluit, eos ita conſentire non poſſe in Epiſcopum, niſi per compromiſſum Jure perfectum: & addidit illud etiam obtinere in Laicis. Vide Janum a Coſta, ad *cap. 4. ext. de judic.* Sicque vel etiam laici ex compromiſſo Eccleſiaſticos Judices adire poterant. Unde illius temporis Epiſcopi audiendis & dirimendis omnium plane Fidelium cauſis aut litibus incumbebant ad faſtidium, ut de S. Ambroſio, S. Auguſtinus *lib. 6. Confeſſ. cap. 3.* & de ſe ipſo paſſim, & de Gregorio Nazianz. Gregorius Nyſſenus, quibus adde Chryſoſtomum in *lib. de Sacerdotio, cap. 18.*

Ea fuit origo Canonicorum judiciorum in laicos, quæ ſummo Jure non habuit Eccleſia, ſed ex liberalitate Principum: nec eam Juriſdictionem habuit quaſi ordinariam, ſed in morem arbitrorum,

quoties Epiſcopi a litigantibus electi eſſent. Progreſſus ille fuit, ut quæ olim Sanctis illis Patribus moleſta erant, poſterioribus Epiſcopis jucundiſſima fuerint. Petrus Bleſenſis in *Epiſt.* 73. ingenue fatetur, Eccleſiaſticos Judices omnium fere cauſarum cognitionem, & alienam Juriſdictionem (puta ſecularem) in laicos ambitione temeraria uſurpare. Et de ea uſurpatione queritur paſſim S. Bernardus. Utebantur vario illo prætextu, vel quod a litigantibus invicem data eſſet fides, aut præſtitum juramentum, vel quod eſſent miſerabiles perſonæ, vel quod in eorum cauſis peccatum aliquod occurreret. Abuſus ille viguit præcipue temporibus eorum Pontificum, ex quorum reſcriptis compoſiti ſunt Decretalium libri. Sed tandem varii Principes huic malo & ambitioni varie conſuluerunt, ut diximus *tit. tertio*, atque etiam Summi Pontifices quædam negotia Eccleſiaſticorum nomine tegebant, ut eorum cognitionem Judicibus Eccleſiaſticis adſcriberent, ut in *cap. 12. ext. de judic.* & in *cap. 5. ext. de teſt. cog.*

Ita & in noſtro *Jure Can.* Summi Pontifices, aut alii Judices Eccleſiaſtici, ob negligentiam ſecularis Judicis inter laicos cognoſcunt, *cap. 6. 10. & 11. ext. de foro comp.* quibus adde Innocentium III. in *Ep. 148. lib. 3. regeſti*, quod in Gallia prohibitum eſt *Regiis Conſtitutionibus Philippi VI. & Caroli VI.*

Ac tandem ea fuit Juriſdictionis illius immutatio, ut hodie Judices Eccleſiaſtici de duabus tantum cauſis cognoſcant inter laicos. Prima eſt de Decimis in judicio petitorio, quia cum ſint res ſacræ, & ſpi-

& spirituale sit Jus earum petendarum, solus Judex Ecclesiasticus de eo cognoscere potest. Atque ita, ut Clericus & Laicus nequidem mutuo consensu, aut ex perfecto compromisso, Judicem laicum de eo Jure adire possint: qua de re videndus omnino Brodæus ad D.Louetium *litt.D.num.*19. Secunda est de fœdere Matrimonii, an illud consistat, aut dissolvendum sit, vel etiam quoad vinculum: illud est tantum Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ita ut laicus ei plane subjaceat; cum illud sit Sacramentum, de quo nunquam Judex laicus cognoscere potest. Olim quidem ex receptis Juris Canonici regulis Judices Ecclesiastici non tantum de Sacramento Matrimonii cognoscebant, sed de ceteris Matrimonii, puta de dote, de dotalitio, de pactis dotalibus, de donationibus inter virum & uxorem; sed hæc abierunt in desuetudinem.

TITULUS VII.

De Publicis Judiciis.

SÆpius quidem publica Judicia, & publici Judices pro secularibus accipiuntur, ad differentiam Ecclesiasticorum, ut jam videre est in *l.*3. *Cod.Th.de Ep. jud.* & in *Cod. Can. Dionysii Exigui*, quod illi soli publicum haberent tribunal, publicum forum, non etiam Ecclesiastici. Sed in hoc titulo publica judicia non alia sunt, quam criminalia, ut in *cap.*13. *ext. qui fil. sint leg.* criminales causæ, ut in *cap.*3. *ext.*

qui mat. accuſ. poſt. quas etiam appellari Judicia publica, notat Balſamon ad *Can.6. Conſtantinopolitanæ Synodi*: quibus nempe crimina vindicantur juxta receptum eorum judiciorum ordinem. Nec enim in *hoc tit.* agitur de foro pœnitentiali, ad quod peccata pertinent, crimina vero ad judiciale; nam ea diſtingui docet S. Auguſtinus in *Enchiridio de Fide cap.7.*

Exemplo Juſtiniani ſtatim videndum quænam ſint delicta Clericorum (de quibus tantum hic agitur) quæ ita vindicantur. Cumque ſub primis Imperatoribus Chriſtianis orta ſit criminalis Juriſdictio Eccleſiæ, ab eorum legibus repetenda eſt cognitio eorum criminum. Gratianus Imp. in *l.23. Cod.Th. de Ep. & Cl.* differentiam facit inter levia & gravia delicta Clericorum. Levia vocat, quæ ad Religionis obſervantiam pertinent. Ea ipſa verba explicat æqualis S.Ambroſius in *Ep.13. aliis 32.* ubi ejus legis meminit, ut ſint cauſæ fidei, & Eccleſiaſtici Ordinis. Sane ſi Clericus fiat hæreticus, non illud eſt leve delictum, nam execrabilis ille dicitur in *l.61. Cod.Th.de hæret.*& paſſim ultimo ſupplicio coercendus; ſed ſi aliquid faciat, quod utcumque fidem aut religionem lædat, Gratiano leve illud dicitur. Quod vero Imperator religionis obſervantiam vocat, eleganter Ambroſius vocat cauſam Eccleſiaſtici alicujus Ordinis: ſiquidem in Eccleſia quædam tenentur Canone, quædam Ordine, quædam conſuetudine, ut eſt in *præfatione Cod. Can.Eccl.Afric.* Et ille ordo nihil aliud eſt, quam Eccleſiaſtica diſciplina, con-

contra quam admiſſa delicta dicuntur levia in *d.l.*23.

Sed non ſatis conſtat, quænam ſint cauſæ illæ contra Eccleſiaſticam diſciplinam, cum tamen eas exacte cognoſcere non minimum interſit, præcipue quantum ad appellationes quaſi ab abuſu, quibus vulgo dicuntur devolutivæ tantum in cauſis diſciplinæ, non etiam ſuſpenſivæ. Et quidem Eccleſia eſt domus diſciplinæ, ait S.Auguſtinus in *lib. de diſciplina Chriſt.* ubi durius in eos agit, qui diſciplinam in ea non ſervent, ideſt S.Ambroſio Eccleſiaſticum Ordinem πολιτεῖαν, inſtitutionem Eccleſiaſticam. Ut ſi quis Clericus in Eccleſia eam religioſe non ſervet, nec rite, nec honeſte officio ſuo fungatur, contra diſciplinam delinquat. Ea etiam continet cauſam morum. Ambroſius ibidem ait, Sacerdotes, ideſt Epiſcopos cognoſcere, ſi morum examinanda ſit cauſa, puta ſi Clericus ſit ebrioſus, aleator, mulierculârius, & ſic de aliis. Et ſicut in actione rei uxoriæ, cum de divortio agitur, vitia morum dicuntur mediocres culpæ, *l.*2. *Cod.Th. de repud.* Ita & in judiciis publicis contra Clericos vitia illa morum reponuntur inter levia delicta. Sicque delicta ad Religionis & diſciplinæ obſervantiam pertinentia dicuntur, quæ non modo lædunt officium, decorem, & honeſtatem in ipſa Eccleſia, ſed etiam mores Clericali ſtatui convenientes, quæ lædunt Chriſtianam Sanctitatem, *l.*3. *Cod.de Epiſc.jud.* quæ offendunt in Chriſtianiſmo, ait Ivo in *Ep.*101.

Gravia delicta ſunt, quæ actio criminalis apud majores Magiſtratus conſtituit, *d.l.*23. ſeu quæ per

ſolemnem accuſationem a publicis Judicibus coercenda ſunt, quæ ad ordinarios cognitores; & ad uſum Juris publici pertineant, *l.1. Cod.Th.de relig.* ſeu ex regulis Juris publici aut civilis vindicanda ſunt.

Aliam Clericalium delictorum diviſionem commenti ſunt alii Imperatores, eamque probat Juſtinianus in *Nov.*83.ut alia ſint propria ſeu Eccleſiaſtica, alia vero communia & civilia, quod a diſciplina militari repetitum videtur. Vel enim milites tanquam milites delinquunt, & illud eſt propriu m militis delictum; vel ut quilibet cives, & illud eſt commune. Ita & cum Clerici ſint etiam Cives & Reip. partes, ſi tanquam Clerici delinquant contra Eccleſiaſticam diſciplinam, illud eſt Eccleſiaſticum, quod pœnis Eccleſiaſticis coercetur: ſi tanquam Cives, illud eſt civile; aut etiam contra quod ab omnibus Civibus admittitur, & ideo Jure communi eſt puniendum in *Nov.*12. *Valentiniani*.

Ex ea diviſione in Gallia fluxit & alia; ſed in alium ſenſum, aliamve acceptionem detorta, ut quædam dicantur communia delicta, quædam privilegiaria.Si quidem ea diviſio referretur ad Juriſconſultorum regulas, ex iis ea dicenda eſſent communia, quæ a Clericis tanquam civibus admitterentur; ea vero privilegiaria, quæ eſſent eorum propria. Sed hod e uſus invaluit, ea dici communia, quæ propria ſunt Clericorum, & privilegiaria, quæ ſunt communia. Ejus denominationis ratio repetenda eſt ex vario illo Jure, quod eorum criminum cognitionem his & illis Judicibus tribuit. In Gallia ſemper Jus

il-

illud commune fuit, ut ſoli Judices Eccleſiaſtici de criminibus Clericorum cognoſcerent; ſed conſuetudo capitalia excepit, quorum cognitionem publicis Judicibus dedit. Ejus diſciplinæ meminerunt elegantiſſime Ivo Carnot. in *Epiſt.*101. & Alexand.III. in *Epiſt.*138. apud *Quercetanum to.*7. *Hiſtoricorum Galliæ*, quam probat etiam Innocentius in ſuis *Geſtis*. Invaluit, delicta dici communia ab eo Jure communi, quod eorum cognitionem Judicibus Eccleſiaſticis tribuit; ea vero dici privilegiaria, ab eo Jure ſingulari, quod conſuetudo introduxit, quod proprie eſt privilegium, quaſi eorum cognitio Judicibus laicis ex privilegio contra Jus commune competat.

Nunc videndum, apud quos Judices peragenda & vindicanda ſint ea crimina. Et quidem cum Apoſtolus egit de civilibus fidelium cauſis, voluit quosdam ex iis in Eccleſia conſtitui, qui de iis cauſis cognoſcerent. Sed cum egit de criminalibus, juſſit ad *Rom. cap.*13. ut omnis anima ſublimioribus Poteſtatibus ſubdita ſit, eaſque timeat, quod non ſine cauſa gladium portent, videlicet ad animadvertendum in facinoroſos homines. Et omnes Sancti Patres addunt, hoc etiam ad omnes cujuslibet gradus Clericos pertinere. Semper quidem Eccleſia in ſceleratos Clericos ſuas habuit pœnas; in eos ſemper teſtes & accuſatores admiſit, ſed ad ſolam morum emendationem, ad Divinam cenſuram, ut olim diximus ex Tertulliano, non etiam ad vindictam publicam, quæ ſemper majoribus illis Magiſtratibus relicta eſt. Cumque

om-

omnis Eccleſiaſtica Juriſdictio proprie dicta (nempe forenſis & publica) ſub primis Imperatoribus Chriſtianis orta ſit, & incrementum habuerit, ab eorum legibus repetendum eſt, a quibus Judicibus delicta Clericorum coerceri voluerint; & hoc ſecundum allatas eorum delictorum diviſiones exequendum.

I. Igitur cum Gratianus differentiam fecit inter levia & gravia delicta, voluit in *d.l.*23. de levibus cognoſcere Judices Eccleſiaſticos, quia iis præcipue læditur ſtatus & ordo Eccleſiaſticus; & de aliis ſeculares, tum quod ea Clerici admittant, quaſi Cives, qui Magiſtratuum Juriſdictioni ſubjacent; tum quod ea ſint civilia, ſeu quæ remp. lædunt, & ad uſum Juris publici pertinent, *d.l.*1. Olim quidem condemnati Clerici ab Epiſcoporum ſententiis appellare non poterant, *l.*8. *Cod. de Epiſc. aud.* Sed poſteriores Imperatores & ſacri Canones iis appellare permiſerunt. Et hodie cum Epiſcopus contra reum Clericum ſententiam dixit de quodam delicto, quod ad religionis & diſciplinæ obſervantiam pertineat; quamvis ab ea Clericus ille appellaverit, vel etiam quaſi ab abuſu: ea tamen appellatio ejus ſententiæ executionem impedire non poteſt, *cap.*13. *ext. de off Jud. Ord.* Eaque ſententia perducenda eſt ad effectum per proviſionem, ut loquuntur; tum quod Epiſcopi Apoſtolico Jure poteſtatem illam habeant, ut de cauſis diſciplinæ judicent, *Can.*63. *Carthag. Concilii apud Balſamonem*: tum quod interſit Eccleſiæ ſtatim ea puniri, quæ fiunt contra diſciplinam, S.Auguſtinus *lib.*2. *contra Parmenianum cap. pen.*

pen. & lib.3. contra Petilianum, cap.4.

II. Alii Imperatores voluerunt, Ecclesiastica Clericorum delicta coerceri ab Episcopis, civilia autem a publicis Judicibus. Cumque in *l.3.Cod.Th. de Ep. jud.* generaliter statuunt, Clericos pro suis delictis trahi non posse ad publicos Judices; statim addunt, quantum ad Ecclesiasticas causas: quæ verba perperam omisit Gratianus in *Can.continua* 11.*q.*1.qui desumtus est ex *d.l.*3. Justinus Imp. in *Nov.*3. (quæ refertur post Novellas Juliani Antecessoris) permittit tantum Episcopis, ut de iis cognoscant, quæ Clerici admiserint contra Divinas regulas, seu contra sacros Canones.

Denique in Gallia sub prima Stirpe Regia observatæ sunt Rom. leges, videlicet *Cod. Th.* ut palam est ex *Can.*9. *III. Matisconensis Concilii*, & ex *Can.*20. *IV. Aurelian.* Idem sub II. Stirpe obtinuisse docent capitularia, sicut & sub III. ab initio, ut nempe levia & Ecclesiastica Clericorum delicta Ecclesiasticæ Jurisdictionis fuerint, gravia & civilia secularis. Nec dicendum est, Alexandrum IV. S. Ludovico dedisse illud privilegium. Nam supra diximus, semper eam fuisse disciplinam & consuetudinem Ecclesiæ Gallic.

Cum autem in Gallia prodiit, quædam esse delicta privilegiaria, si quis Clericus eorum accusetur, ejus accusationis ordo ille est, ut uterque Judex Ecclesiasticus & Regius eam præparent aut instruant: & postea seorsim sententiam ferant in reum. Quod omnino desumtum videtur ex *edicto Clotarii II. ad*

5.*Pa-*

5.*Pariſ.Concilium*. Cum enim in ejus *Can.*4. generaliter cautum fuit, ne quis Judex laicus Clericum damnare auſit, Clotarius hoc quidem generaliter & in civilibus cauſis probavit, ſed in criminalibus addidit, ut Clericus capitalis criminis accuſatus a ſeculari Judice diſtringatur, ideſt apprehendatur, & coram Pontificibus examinetur.

TITULUS VIII.

De Delictis Laicorum.

An & quænam ſint Eccleſiaſticæ Juriſdictionis.

DE privatis aut civilibus laicorum cauſis actum eſt ſupra, nunc de publicis aut criminalibus, an & ex quibus delictis ad Judicem Eccleſiaſticum trahi poſſint. Sic Harmenopulus in *Epitome Canonum ſect.*5. ubi de laicis agit, titulum proponit, pœnæ criminum, & ſtatim alium, pœnæ lapſorum, in quibus agit tantum de laicis. Sed ibi fere ſolum etiam tractat de foro Pœnitentiali.

Statim vero præmittendum eſt, de iis Judicibus fingendam eſſe ſpeciem, qui a ſolo Chriſto, ab ea ipſa Eccleſia, non etiam aliunde Juriſdictionem habeant, puta ex conceſſione Principum, vel ex proprietate feudorum aut nobiliorum prædiorum. Nam invaluit tandem, Eccleſiam habere poſſe Juriſdictiones temporales, ex quibus in laicos etiam delinquentes animadvertere poſſit, ut palam eſt ex *cap.*3. *ext.*

de

de præſcript. ex *cap.* 10. *ext. de exceſſ. Prælat.* & alibi paſſim: quibus adde Magnum Bignonium ad *Marculfum lib.* 1. *cap.* 3. Eam hodie non niſi per laicos exercet, nec ab iis appellatio eſt, niſi ad Regios Judices.

De iis judicibus non hic quæritur, ſed de iis tantum, qui ſolam & proprie dictam habent Juriſdictionem Eccleſiaſticam, nec etiam de foro Pœnitentiali: omnes enim Chriſtianos huic ſubjacere conſtat. Unde Innocentius III. in *cap. novit.* 13. *ext. de judic.* ſic loquitur: De peccato decernere intendimus, cujus ad nos pertinet ſine ulla dubitatione cenſura, quam in quoslibet exercere poſſumus & debemus.

Quædam ergo delicta ſunt adeo Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, ut in iis vel etiam laici eam agnoſcere teneantur; talis eſt hæreſis. Nam ſi quis laicus accuſetur hæreſeos, tum primum Divina ſeu Eccleſiaſtica vindicta puniendus eſt, & poſtmodum ultione Imperiali, *l.* 1. *Cod. de Sum. Trin.* Primo Epiſcopus eum condemnare debet, eumque condemnatum ſeculari poteſtati tradere puniendum, *cap.* 9. *ext. de hæret.* Officium eſt Epiſcopi aliquem hæreticum declarare vel etiam laicum, ait S. Athanaſius in *tertio Colloquio Arrianorum*. Ac tandem Rigordus in *geſtis Philippi Auguſti* ait, quoſdam hæreticos damnatos fuiſſe in Concilio, & Regiæ Curiæ traditos.

Idem de Simonia dicendum, quippe quæ ſit crimen omnino Eccleſiaſticum, perinde ac hæreſis. Unde ſi laicus eam admiſerit, ut in *cap.* 26. *ext. de Sim.* in *Epiſt.* 373. *Innocentii III. lib.* 2. *Epiſt. Decretal.* quæ

per-

pertinet ad *cap.un.ext.ut Eccleſ.Benef. ſine dim. confer.* ſi pro Beneficiis Eccleſiaſticis pecuniam dederit aut acceperit, Simoni Mago comparatur, ait Guntrannus Rex apud *Aimoinum lib.1. cap.55.* Eccleſiaſticæ Jurisdictioni ſubjacet. Nec unquam obtinuit in hoc Regno, ut publici Judices de ſola ſimonia judicaverint. Hoc olim agnoverunt Advocati Catholici Senatus Pariſienſis circa *an.1547.* Et hinc cum Petrus Pithæus in *Collectione libertatum Eccleſiæ Gall.cap.31.* enumerat ea crimina, de quibus cognoſcere non poſſunt Eccleſiaſtici Judices, omittit ſimoniam, ut ita doceat eam eſſe fori Eccleſiaſtici.

Olim etiam exactio uſuræ crimen erat pure Eccleſiaſticum, & ita Eccleſiaſtici fori, *Can.20. Illiberit.Concilii*, & *cap.7.ext.de uſur.* Nec alia olim eſſe poterat diſciplina, cum ſoli Canones prohiberent uſuras, non etiam Principes, qui tantum eas definiebant aut taxabant. Sed invaluit, crimen uſurarium a Clerico admiſſum, eſſe fori Eccleſiaſtici; a laico, eſſe publici; cum Principes durius in eos agere cœperunt, qui earum modum ab ipſis decretum excederent.

De quibuſdam aliis criminibus pure Eccleſiaſticis vide Petrum Pithæum *ibidem cap.31.& 33.* & ad ea Commentarium: ſicut & Feuretum in *tractatu de abuſu, lib.8. cap.2.* Sed ex *d.cap.33.* unum illud obſervandum, quo caſu Eccleſiaſtici Judices de iis criminibus cognoſcunt inter laicos, Canonicis tantum pœnis eos uti poſſe, non etiam mulctæ dictione, & ſimilibus aliis.

TI-

TITULUS IX.

De Accusatione.

ACcusationes proprie de publicis judiciis dicuntur, ut observant Græci Basileon Interpretes ad *l.1. Cod.ut infra cert.temp.crim.quæ.term.* Accusatio est alicujus criminis delatio apud Judicem solemniter facta ad vindictam publicam. Ut a simplici delatione differat, additur solemniter facta, idest cum inscriptione in crimen; ut nempe accusator in Jure profiteatur se illum accusare hujus criminis, se accusationem illam persequuturum usque ad sententiam, seque subjiciat eidem pœnæ, nisi crimen illud probaverit; quod eo animo introductum est, ut compescatur accusatorum temeritas & injuria, *l.ult. d.de furt.* Eam quoque inscriptionem agnoscunt & probant sacri Canones apud Gratianum, & in omnibus libris Decretalium.

Sicut Tribonianus *de criminibus lib.9. Cod.* acturus primum hunc titulum præmittit, Qui accusare non possunt; ita & in *hoc tit.* præcipue inquirendum, quinam possint esse accusatores. Nam & Author ad *Herennium* ait, cautum esse in publicis legibus, ut ante omnia judicium fiat de accusatore, utrum ei accusare liceat. Illud autem edictum de accusationibus prohibitorium est, ut nempe illi omnes accusare possint, qui non prohibeantur, *Can.* 129.& 130. *Carth.Concilii apud Balsamonem.* Hincmarus

marus Remenſis Archiepiſcopus in *Ep.7. cap.4.* ait Eccleſiam illud moderari, & ex legibus & ex ſacris Canonibus.

Cum Apoſtolus 1.ad *Timoth.cap.5.* dixit: Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi duobus aut tribus teſtibus; SS.Patres & Sacri Canones huic Apoſtolico præcepto convenire putarunt, non paſſim, non promiſcue recipiendas eſſe accuſationes contra Presbyteros, ne bona eorum exiſtimatio contaminetur, *Can.6. Conſtantinopolitani Concilii I.* ſicque polluatur eorum dignitas in opprobrium Cleri, ait Flodoardus *lib.2.Remenſ.hiſt. cap.2.* Unde cum poſt Nicænum Concilium Arriani, Euſebiani, & alii id genus, graves quotidie accuſationes inſtituerent contra Catholicos, & ſæpius non alios haberent accuſatores, quam homines malæ rei, ſtatim conſtitutum eſt in *d.Can.6.* & adhuc poſtea in *Can.2. Calched. Concilii*, quinam haberent accuſandi licentiam.

Ex *d.Can.6.* vel aliquis propriam injuriam perſequitur contra Epiſcopum, vel crimen aliquod Eccleſiaſticum. I. Caſu inquirenda non eſt perſona vel religio ejus accuſatoris, quia oportet Epiſcopi conſcientiam modis omnibus liberam eſſe, vel etiam abſque ſuſpicione criminis, & eum, qui aſſerit ſe paſſum eſſe injuriam, Jus ſuum conſequi cujuſcunque Religionis aut vitæ. II. Non omnes ad eam accuſationem admittendi ſunt. Prius eſt, ut eorum diſcutiatur exiſtimatio, *d.Can.2.*

Et primo quidem non licet hæreticis accuſare Ca-

Catholicos de rebus Ecclesiasticis, *d. Can.* 6. idest de iis causis, quæ accusato depositionem aliamve pœnam Ecclesiasticam irrogant, ait ibi Zonaras. Et in eo *Can.* illi dicuntur hæretici, qui a Concilio extra Ecclesiam ejecti & excommunicati sunt propter fidem Catholicæ contrariam.

II. Clericos accusare non possunt, qui excommunicati sunt, & alterius etiam criminis accusantur, priusquam de proprio crimine satisfecerint, seque probaverint innocentes. Ac tandem infames ad Clericorum accusationem non admittuntur; iniquum enim esset eam vitæ rationem ab aliis reposcere, qui suæ reddere non posset, ait M. Tullius in *Divinatione*. Ab ea etiam accusatione removentur pupilli, mulieres, & servi.

Dubitatum est de laicis, an Clericos accusare possint. Eos olim potuisse, constat ex *d. Can.* 6. & ex *d. Can.* 2. Sed 1. Symmachus in 5. Synodo Rom. Episcoporum dignitati dedit, ut a laicis accusari non possent. Quod Alexander III. in *cap.* 14. *ext. de testib.* ad Clericos produxit; quod forte intelligendum est de criminosis laicis, *Can. præsumunt* 2. *q.* 7.

Denique licet nullus absque legitimo accusatore condemnari possit, *cap.* 1. *ext. hoc tit.* attamen notoria & manifesta eo non egent, *cap.* 9. *ibid.* quia in delictis requiritur tantum, ut probentur: nihil autem clarius, nihil illustrius esse potest ipsa evidentia, inquit M. Tullius in *quæstion. Academ.* ideoque Judex officii sui prospectu secundum judiciorum ordinem reum peragere potest. Et obiter observanda sunt ea

verba Math.Pariſ. in *Joan.rege Angliæ*. Conſuetudo eſt in Regno Franciæ, quod cum aliquis accuſatur coram ſuo Judice de murdro, & non venit, pro convicto habetur, & tanquam convictus per omnia judicatur, & etiam ad mortem, ac ſi præſens eſſet.

TITULUS X.

De Pœnis.

CUm accuſatio ſit ad vindictam publicam, & nulla ſit Juriſdictio abſque coercitione, *l.ult.in fin. d.de eo cui mand. eſt Juriſd.* ſemper Eccleſia ſuas habuit pœnas, quibus malefactores coerceret. Ex iis quædam ſunt pro interiori & pœnitentiali foro, de quibus in *hoc tit.* non agitur, ſed tantum de iis quæ pro exteriori. Invaluit quidem, pœnas & cenſuras promiſcue uſurpari; ſed in antiquis Canonibus vix unquam cenſura occurrit, pro pœna exterioris fori. Nam apud Tertullianum Cenſura Divina fiebat tantum in privatis aut ſecretis conventibus; & forte tum primum apud S.Bernardum in *lib.de præc.& diſpenſ.cap.*13. occurrit vox illa, Cenſura excommunicationis. Igitur in *hoc tit.* de iis tantum pœnis agitur, quæ in foro exteriori & judiciarie irrogantur.

Cum Apoſtolus 1. ad *Corinth.cap.*5. juſſit Fidelibus, ut ſceleratus quidam fornicator tollatur de medio eorum, S.Anſelmus addit hoc fieri per Eccleſiaſticam diſciplinam, ſeu per cenſuras Eccleſiaſticas: quod

quod nihil aliud eſſe, ait S. Auguſtinus *lib. 3. contra Parmenianum in princ.* quam ut ejiciatur a congregatione Fidelium, qui præcipuus eſt finis cujuslibet Eccleſticæ cenſuræ, ut criminum rei, aut in totum, aut per partes arceantur a communione Fidelium.

Sicut enim unaquæque Civitas nihil aliud eſt, quam ſocietas & communio quædam ad bene beateque vivendum inſtituta; quæque potiſſimum conſiſtit in mutuo uſu & participatione quorumdam Jurium, quibus gaudent Cives, non etiam peregrini, puta Romæ, in Jure comitiorum, in Jure ſacrorum, in petitione honorum; ac ſi quis deliquerit, alterutro ex iis privatur. Ita & cum Eccleſia ſit Civitas Sancta, cujus incolæ ſunt Cives Sanctorum, inter eos eſt communio, ideſt ſocietas & participatio rerum Divinarum & humanarum. Ac ſi quis contra eam deliquerit, a communicatione orationis, conventus, & ſacri commercii relegatur, ait Tertullianus in *Apol. cap.* 39. & ad reprimendam perverſorum malitiam, pœnæ certæ in Canonibus conſtitutæ ſunt, *cap.* 8. *ext. de off. Jud. ord.* quæ ab iis tantum imponi & irrogari poſſunt, qui exteriorem & contentioſam Juriſdictionem Eccleſiaſticam habeant.

Olim quidem publica pœnitentia dici poterat cenſura, quod Fideles a ſacris arceret: ſed invaluit utramque ſeparari, & ut cenſuræ quædam eſſent pœnæ Judiciales, quæ cum ſtrepitu forenſi & publice infligantur. Olim etiam omnes cenſuræ dicebantur excommunicationes, quia vel minima ex

iis reo adimit alicujus rei ſacræ communionem. Sed obtinuit, excommunicationem ſingularem eſſe pœnam, quæ generis ſibi nomen retinuit. Plures quidem ſunt Eccleſiaſticæ cenſuræ; ſed cum aliquid ſub iis ſimpliciter prohibetur aut præcipitur, eo nomine tres tantum veniunt, excommunicatio, interdictum, & ſuſpenſio, prout ex rerum aut perſonarum qualitate viderit Judex, *cap.* 20. *ext. de V.S.*

Denique cum in Eccleſiaſtica Juriſdictione nullum ſit diſcrimen ſanguinis ſub incruenta diſciplina, inquit S. Auguſtinus in *Ep.* 54. nihil frequentius, quam ut Eccleſia judicium ſanguinis, aut corporales pœnas irrogare non poſſit, ne quidem contra ſceleratiſſimum, ait Syneſius in *Ep.* 121. Regum eſt eas infligere, & Sacerdotum imponere ſpirituales, *cap.* 3. *ext. de crim. fal.* Olim quidem Judicibus Eccleſiaſticis permiſſa erant flagella, S. Auguſtinus in *Ep.* 159. quæ nempe non eſſent ad ſanguinis vindictam, *cap.* 9. *ext. ne Cler. vel Mon.* Sed iis tandem interdicta ſunt, & mundanis Poteſtatibus relicta. Dici poteſt etiam eos quæſtionem indicere poſſe, ad eruendam rei veritatem, *cap.* 1. *ext. de depoſ.* non utique cruentam aut ſanguinolentam, quia ſuppliciis extorquere confeſſionem cenſura eſt Curiæ, non etiam diſciplina Eccleſiæ, ait Hildebertus Cœnom. in *Ep.* 30. Ac tandem obtinuit, Eccleſiaſticos Judices condemnare non poſſe in exilium, quaſi proprie territorium non habeant.

TITULUS XI.

De Excommunicatione.

EX pœnis Eccleſiaſticis præcipua & graviſſima eſt Excommunicatio, ultra quam non habet Eccleſia quod faciat, *cap.* 10. *ext. de judic.* Ea eſt cenſura Eccleſiaſtica, per quam Fidelis ſeparatur a Communione Eccleſiæ. Cum enim Chriſtus Dominus Deum Patrem ſuum oravit pro ſuis Apoſtolis, ut ipſi unum ſint, ſicut ipſe & Pater, ut in Deo Patre & in eo unum ſint, & omnes in unum conſummati, *Joan. cap.* 17. Veteres fidei noſtræ Patres unum illud præcipue habuerunt in votis, ut inter omnes Fideles unitatem, unionem, intimam ſocietatem ſtabilirent, & ſimul omnes unum eſſent in Chriſto Domino. Ejus quidem Communionis perfectio, eſt adoranda Euchariſtia; ſed tamen conſtat eam in multis aliis conſiſtere, in communicatione aut participatione orationum, oblationum, conventus, & omnis ſancti commercii, ut omnes Fideles invicem participent in omnibus bonis operibus, quæ fiant in Eccleſia, juxta illud *Pſalmi* 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.*

Si quis aliquid fecerit Sanctiſſima illa Unione indignum, graviſſima eſt ea pœna, & ultimum Eccleſiaſticæ poteſtatis fulmen, ut ab ea ejiciatur. Eaque nihil aliud eſt quam excommunicatio. Sicut vero plures ſunt communionis gradus, ita & excom-

munications. Ex iis duo præcipui duplicem illam faciunt, majorem & minorem. Antiquis Canonibus incognita eſt ea diviſio; ſed frequentiſſima eſt in libris Decretalium, & apud eorum Interpretes major dicitur, qua quis perceptione Sacramentorum privatur, & omni communione Fidelium, abſcinditur a Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, & Satanæ traditur, qui extra eam eſt. Ipſum quidem mortale peccatum Satanæ tradit peccatorem, *Can. audi 11. q. 3.* & tamen non eſt cenſura, non eſt excommunicatio: nam privat tantum interna quadam communione, qua Fideles per charitatem uniuntur quaſi membra Chriſti, quia per illud amittitur ea charitas, non etiam externa, & Eccleſiaſtica Communione, quæ cæremoniis quibuſdam externis conſtat, & qua privat Excommunicatio, non etiam interna illa Communione: cum enim ea feratur tantum propter mortale peccatum, jampridem illud ea Communione privavit.

Majoris ejus excommunicationis effectus ille eſt, inquit Apoſtolus, ut qui ea perculſus eſt, Satanæ tradatur in interitum carnis, ideſt ut torqueatur & affligatur ejus corpus; vel ut vertit Origenes in *Hom. 24. in Leviticum*, hoc eſt in afflictionem corporis, quæ ſolet a Pœnitentibus expendi, & ut vulgo accipiunt veteres Sancti Patres. Addit, ut ſpiritus ſalvus fiat in adventum Domini, ideſt ut ſalvetur ejus anima, cum ei tempus mortis a Deo indictum fuerit: ſi quidem ſe ſubjiciat Eccleſiaſticis præceptis, ait S. Ambroſius in *Ep. ad Theſſalon. cap. 3.*

Apo-

Apoſtolus prohibet, ne quis cum eo cibum ſumat aut commiſceatur, ut confundatur; ne quis eum recipiat in domum, ne dicat ei Ave, ut fiat abſque Synagoga ſeu Eccleſia, addit Syneſius in *Ep.* 88. ut omnis religioſa domus ei claudatur, nec privati nec Magiſtratus tecto & menſa cum eo utantur; ut relegetur a communione orationis, oblationis, & ſacri commercii. Et hinc major Excommunicatio dicitur anathema, quod verbum vel eſt Hebræorum, apud quos illud eſt horrendum, execrabile, deteſtabile; vel Græcorum, quibus donaria templorum parietibus appenſa dicuntur anathemata, quaſi ab aliis rebus ſeparata.

Olim quidem excommunicati, cœtu Fidelium adeo ſeparati erant, ut qui cum iis quoquo modo communicarent, eſſent etiam excommunicati, quaſi ejuſdem criminis participes. Sed cum ea diſciplina civilem ſocietatem nimium turbaret, exolevit; præterquam in iis, qui denuntiati fuerint nominatim & ſpecialiter excommunicati, ut in titulo Pragmaticæ Sanctionis, & Concordatorum *de excommunicatis non vitandis*; eoque referri poteſt illud S. Clementis *lib.* 2. *Conſtit. Apoſt. cap.* 44. excommunicationem non privare civili commercio, ſed tantum ſpirituali & ſancto, ait Tertullianus in *Apol. cap* 39. ut Fideles excommunicatos conſolentur, & moneant redeundum eſſe in Eccleſiam, ſicque tollitur excommunicatio; nam ex Apoſtolo curat Eccleſia, ut ſalvus fiat eorum ſpiritus in adventum Domini.

Minor excommunicatio dicitur comparatione

ad majorem, quod a ſola perceptione Sacramentorum ſeparet; non etiam ab omni communione Fidelium. Sicut tamen communionis plures ſunt gradus aut ſpecies, ita & excommunicationis, puta ab oratione, ab oblatione, a Sacramentis, a conventu. Sed cum ſimpliciter dicitur minor Excommunicatio, ea intelligitur quæ ſacrorum perceptione privat, *cap.2. ext.de except. cap.pen. ext.hoc tit.* & alia intacta permanent, puta ut qui ea perculſus eſt, nulla quidem percipiat, ſed aliis ea conferre poſſit, quia remotus eſt tantum a perceptione, non a collatione. Retinet etiam Jus eligendi, quod habebat, *cap.9. ext. de Cler. Excom.* Juriſdictionem, Collationem Beneficiorum, Orationum communicationem. Cumque aliquis ſimpliciter a Judice dicitur excommunicatus, hoc de majori accipiendum, *d.cap.pen. hoc tit.* Et fere in deſuetudinem abjit minor Excommunicatio; nec niſi duobus caſibus obtinet, puta cum eſt a Canone, ut mox videbimus, vel propter fraudulentam ſeu peccaminoſam (ut loquuntur Scholaſtici) communionem cum eo, qui nominatim & publice denuntiatus fuerit excommunicatus, eaque vix amplius a Judice fertur.

Alia eſt adhuc diviſio Excommunicationis, ut alia ſit Juris ſeu Canonis, alia hominis ſeu Judicis, *cap.29. ibid.* Canonis, quæ ab eo fertur & infligitur, puta cum ſacri Canones aliquid prohibent ſub pœna Excommunicationis; qui contra fecerit, incidit in Excommunicationem Canonis, ipſo Jure, ipſo facto Excommunicatus eſt abſque ulla ſententia Judicis,

dicis, ſed ſola vi & poteſtate Canonis, unde dicitur Excommunicatio latæ & promulgatæ ſententiæ, videlicet ab ipſo Canone; quicumque tandem ille ſit, dummodo ab eo editus ſit, qui ejus condendi poteſtatem habeat. Excommunicatio hominis dicitur, quæ ſecundum Juris Canonici regulas a competenti Judice fertur, & ideo dicitur Excommunicatio ferendæ ſententiæ.

Conſtat vero, Excommunicatione uſos fuiſſe Apoſtolos; & ideo Gregorius Nyſſenus ait eam eſſe paternam legem, ideſt Apoſtolicam, ſicut eorum Canones dicuntur paterni. Ab iis ad eorum Succeſſores puta Epiſcopos translata eſt ea excommunicandi poteſtas, ait S. Hieronymus in *Homil. 2. in librum Judicum*. Et hinc paſſim Excommunicatio dicitur mucro Epiſcopalis, gladius Spiritus Sancti, qui Epiſcopis commiſſus eſt, ait Gerebertus in *Ep.* 3. Et verius eſt, olim etiam Epiſcopum abſque ſuo Metropolitano & Provinciali ejus Synodo excommunicare potuiſſe, cum ea Excommunicatio per appellationem aut querelam in ea examinari potuerit, ut pluribus probat Gratianus *cauſa* 11. *q.* 3.

Sic etiam Archidiaconi in ſuis territoriis Excommunicare poſſunt: jam ejus rei veſtigium extat in *Orat.* 10. *Calchedon. Concilii*. Et forte verius eſt, poteſtatem illam iis non ſuo Jure, non vi ſuæ dignitatis competere, ſed vel ex ſpirituali conceſſione quorumdam Epiſcoporum, vel ex longa conſuetudine, quod Juriſdictionem præſcripſerint, ut eam pœnali judicio tueantur. Abbates etiam ſuos Monachos

ex-

excommunicare poſſunt, *cap.* 10. *ext. de ma. & ob.* *cap.* 1. *ext. de eo qui furt. ord. ſuſcep.* Non etiam Abbatiſſæ ſuas Moniales, quia non habent poteſtatem Clavium, *cap.* 1. & 2. *ext. de major. & obed.*

Denique conſtat, Parochos ab altari removere poſſe ſuos Parochianos, iiſque adorandam Euchariſtiam denegare, ut eſt in *Can.* 1. *Concilii Nannetenſis*, quod eſt excommunicare, quodque iis concedunt Riculfus Sueſſionenſis, & Theodulfus Aurel. in ſuis *Capitulis*. Forte tamen cum Hoſtienſi dicendum eſt, eos anathematiſare non poſſe, ideſt nec majori excommunicatione ferire, nec ſervato judiciorum ordine excommunicare poſſe, quia exteriorem & contentioſam Juriſdictionem non habent. Sed eos a perceptione Sacramentorum removere poſſe (quæ minor eſt Excommunicatio) veluti per modum Divinæ cenſuræ, cujus olim meminimus ex Tertulliano. Nec obſtat *cap.* 3. *ext. de off. Jud. ord.* ubi Parochus ſententiam excommunicationis ferre dicitur, atque ita ut Diœceſanus Epiſcopus ab ea non poſſit abſolvere, inſcio illo Parocho. Nam omnes fere volunt ibi de eo Parocho agi, qui Juriſdictionem præſcripſerit.

Excommunicatio ferenda non eſt, niſi cauſa cognita, *Can.* 22. *Tribur. Concilii apud Reginonem lib.* 2. *de diſcip. Eccleſ. cap.* 207. ubi cum Deus dixit *Geneſeos cap.* 18. Deſcendam, & videbo utrum clamorem, qui aſcendit ad me, compleverint vel non: addunt Patres ejus Concilii: Eo exemplo monemur, ne ad ferendam excommunicationem præcipites ſimus, aut

aut temere, aut indiligenter judicemus. Sed & ferenda non est ex parvis & levibus causis, *can.*41. & 42.11. *q.*3. alioquin facile adducitur in contemtum. Et hinc Leo M. in *Ep.*89. *cap.*6. graviter conqueritur de quadam excommunicatione ob levem causam & levia verba, sicut & Petrus Damianus *lib.*1.*Ep.*12. ad Alexandrum II. & quod levius & frequentius decernantur excommunicationes.

Decernendæ non sunt, nisi ex certa & manifesta peccati causa, quam probet Canonica authoritas, *Can.*2. *IV.Aurelian.Concilii*, & *Can.*3. *Vvormatiensis*; & ex iis culpis, ex quibus Sancti Patres jubent malefactores arceri ab Ecclesia, *d. Can.*42. Sed & quamvis nullum occurrat grave delictum, propter solam contumaciam ferri potest, puta si quis legitime citatus a suo Episcopo venire nolit, *cap.*23. *ext. de V. S.* si præcise contra illius decretum veniat, si ejus mandatis obedire nolit, *Can. sin autem*, *ibid. cap.*2. *ext. de ma. & obed.* Cum eo tamen temperamento, ne iracundus Episcopus contra suum Clericum cito & aspere commoveatur, *Can.*4. *ibid.* & ut delictum contra se admissum dimittere possit, non etiam quod contra Deum; sed illud Canonicis pœnis vindicare teneatur, ut ex S.Hieronymo probat Regino Abbas *lib.*2. *de disciplinis Eccles. cap.*310.

Quamvis autem justa sit excommunicationis causa, non prius tamen ferenda est, quam præcesserint tres monitiones, tria veluti edicta, quibus admonetur reus, ut a peccato recedat. Illud est Domini præceptum, *Can. omnes* 16.*q.*7. videlicet *Math.*18.

ubi

ubi ſi frater tuus in te peccaverit, jubetur ut primo eum moneas inter te & ipſum ſolum. Secundo, adhibitis teſtibus. Tertio, ut dicas Eccleſiæ, ideſt congregationi Fidelium. Ac tandem ſi ad ſanam mentem non redeat, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus, quod nihil aliud eſt, quam ut excommunicetur. Triplicis illius monitionis meminerunt Apoſtolorum Canones, Apoſtolicæ Conſtitutiones, & paſſim ſacri Canones. Ex quibus dici poteſt, excommunicationem abſque triplici monitione factam, ipſo Jure nullam & irritam eſſe, quaſi contra præceptum Domini & ſacros Canones facta ſit: aut utique eam ipſo quidem Jure valere, ſed facile reſcindi poſſe quaſi injuſtam, ut exiſtimat Covarruvias ex *cap.5. de ſententia excom. in 6.*

Quidam tamen caſus occurrere poſſunt, in quibus una monitio ſufficit, *cap.9. ibid.* Puta ſi Epiſcopus illud expedire viderit pro ratione temporis, delicti, & perſonæ, quod forte vel contumacia & inobedientia, vel delictum Clerici, grave ſcandalum pariat. Ita & triplex quidem monitio in ea excommunicatione deſideratur, quæ eſt ab homine, non etiam in ea quæ eſt a Canone; nam ille ſatis ſuperque reum admonet ut reſipiſcat, *cap.26. ext. de appellat.* Ideoque nulla etiam præcedente excommunicatur ipſo Jure, ſi Canoni non pareat, quem ignorare non debet. Fere tamen omnes volunt tutius eſſe, ſi lata ſententia declaretur excommunicatus, qui inciderit in excommunicationem Canonis, ut ſaltem illud publice cognitum ſit. Prudentiſſimum Petri

Da-

Damiani videtur consilium in *ead.Ep.*12. ut Prælati non ita facile nec ita frequenter addant excommunicationis pœnam, quia contumaces sæpius & facilius in eam incidunt, de qua vix cogitant.

Denique in scriptis ferenda est excommunicationis sententia, *cap* 1. *hoc tit. in sexto*. Ecclesiasticas leges illud velle, ait Hincmarus apud *Reginonem in prima Appendice cap.*22. & hoc commune habet cum aliis sententiis, quæ non merentur habere nomen sententiæ, nisi scriptæ sint, ait Gregorius Magnus, *lib.*11. *Reg.Ep.*54.

TITULUS XII.

De Suspensione, & Depositione.

SUspensio est Ecclesiastica censura, quæ Clericum suspendit seu ad tempus removet a quodam ministerio, a quadam functione. Julianus Imp. in *Ep.*62. indicat, eam ipsis Sacerdotibus Ethnicis non fuisse incognitam. Et a politicis desumta videtur, in quibus Decurio ad tempus Ordine suo movetur, *l.*2. *in princ. d. de decur.* Antiqui Canones nomen illud suspensionis non habent. Græci sæpius eam vocant ἀφορίσμον, Latini abstentionem, cum tamen apud eos omnes varia sit utriusque illius verbi acceptio. Post quintum aut sextum seculum ea censura cœpit appellari Suspensio, ut in *tertio & quinto Aurel.Concilio* & in *Ep.*2. *Felicis II. Summi Pontificis*. Quamvis regulariter Ecclesiasticæ censu-

ræ non ſint ad tempus, ne rei eas contemnant, dum nempe illius lapſum expectent, ut ab iis ipſo Jure liberentur, & vix alium poſſint habere terminum, quam donec reus a culpa recedat, & ſatisfaciat; attamen ſuſpenſionis ea natura eſt, ut ſit ad tempus. Hoc ipſa vox indicat, & in eo differt a depoſitione, ut mox videbimus.

Sæpius autem Judex ſuſpenſioni addit certum tempus; aliquando etiam quamdiu reſipiſcat reus, quamdiu mereatur indulgentiam, ut in *cap.*33. *ext. de teſtib.* plurimum tamen refert quid addiderit. Nam ſi certum tempus, eo elapſo, non opus eſt abſolutione, ut exiſtimat Gloſſa ad *cap.*48. *ext. de ſent. exc.* quia Judicis una mens ea eſt, ut tamdiu tantum huic cenſuræ ſubjaceat. Si aliud, abſolutione opus habet, ait Gloſſa ad *cap.*2. *ext. de ſolut.* Nec prius eam accipiat, quam ſecundum Canones dignam ſatisfactionem fecerit: aut etiam illud arbitrio Epiſcopi relinquitur, *Can. Presbyter* 2. *q.*5. In ſuſpenſione perinde ac in aliis cenſuris præmittenda eſt etiam triplex monitio, *cap.*11. *ext. de Cler. non reſid.*

Ut dignoſcatur quinam ſit ſuſpenſionis effectus, videndum eſt an ſit ſpecialis an generalis. Primo caſu, puta ſi quis a certo quodam ordine vel officio ſuſpenſus ſit, abſtinere debet ab iis quæ ſunt illius ordinis aut officii, alioquin ſit irregularis; alia exequi poteſt: nam ea ſuſpenſio non excedit ſuos terminos. Secundo, puta ſi quis generaliter ac indiſtincte ſuſpenſus ſit, ab eorum omnium exercitio abſtinere debet, quæ quoquo modo Clericis competunt.

De-

Depositio est censura Ecclesiastica, per quam Clericus aliquis in totum & in perpetuum quodam Gradu vel officio privatur & abdicatur. Cum deponitur ab Ordine, caracterem retinet, cum sit indelebilis; sed in totum & in perpetuum spoliatur ejus nomine, officio, & honore, ait Optatus Milevit. *lib.2. de Schismat.Donatistarum*; redigitur ad laicam communionem, nec amplius habet Ecclesiasticam, idest, cum laicis tantum communicant, non etiam cum Clericis. Statim quidem ad Eucharistiam accedere potest, quia non est excommunicatus, sed cum laicis. Adeo vero depositus gradu & officio suo abdicatur, & illud in totum amittit, ut si ab ea depositione absolvatur, non possit esse quod fuerat, quam si amissum Gradum vel officium de manu Episcopi recipiat coram Altari, ut est in *Can.26. Concilii Tolet. IV.* quod reparationem vocat. Sed cum suspensus absolvitur, ea non eget, cum nec in totum, nec in perpetuum gradu vel officio privetur; sed tantum ejus exercitio; & quidem ad tempus.

Denique una est realis depositio, quæ lata sententia irrogatur, ac si quæ sequatur degradatio, est tantum ultima ejus executio. Nec obstat *Canon* 13. *Arelat.*1. *Concilii*, ubi cum dicitur Traditores Sacrarum Scripturarum non nudis verbis a Cleri Ordine removeri; male inducitur verbalis quædam depositio. Nam mens ejus Canonis ea est, ut illi tantum habeantur quasi traditores Sacrorum Codicum, qui ex actis publicis detegantur, ut est in eo *Can.* non ex nudis & simplicibus verbis.

TI-

TITULUS XIII.

De Interdicto.

ILlud eſt Eccleſiaſtica cenſura, qua quibuſdam locis aut perſonis officium Divinum & Eccleſiaſtica Sacramenta prohibentur. Duplex conſtitui ſolet, perſonale & locale. Illud ſubdividitur in particulare & generale. Primum eſt, cum certus quidam Clericus interdicitur, de quo in *tit. Decretal. de Cl. excomm. depoſ. interd. miniſt.* & in *cap. 3. §. 1. ext. de privil.* Nec illud fieri poteſt niſi tribus præmiſſis monitionibus, *cap. 11. ext. de Sponſ. & Mat.* Ejus interdicti effectus ille eſt, ut Clericus ille ab iis abſtineat, a quibus interdictus eſt, nec Officio Divino adeſſe, nec Sacramenta percipere poſſit. Interdictum perſonale & generale vocant Interpretes, cum interdictus eſt populus, aut cujuſdam Eccleſiæ Clerus, ut in *cap. 16. de ſent. exc. in* 6. Perſonale dicitur, quod interdictæ ſint certæ quædam perſonæ: & generale, quod plures ad illud pertineant, vel eo contineantur.

Interdictum locale dicitur, cum interdictus eſt quidam locus: vel etiam eſt particulare, cum certa quædam Eccleſia interdicto ſuppoſita eſt; vel generale, cum tota Diœceſis, Regio, Provincia. Ejus ille eſt effectus, ut omnes ejus loci Eccleſiæ claudantur, in iis non pulſentur campanæ, non celebretur Divinum Officium, Eccleſiaſtica Sacramenta nec conficiantur nec conferantur, Fideles in iis aut earum

Cœ-

Cœmeteriis non ſepeliantur. Ea ratione introducta eſt ea cenſura, vel ut puniatur populus qui læſerit Eccleſiam. Cum enim univerſitas vix unquam excommunicari poſſit, ut probari poteſt ex S. Auguſtino in *Ep.* 75. invaluit ei omnes Eccleſias claudi, donec ad ſanam mentem redierit, apud Ivonem Carnot. in *Ep.* 94. Vel etiam ut puniatur Princeps, quem tandem populus durioris ejus interdicti tædio affectus ad reſipiſcentiam & ſatisfactionem clamoribus ſuis compellat, inquit Gaufridus Vindoc. *lib.* 2. *Ep.* 16.

Non ſatis conſtat, quandonam & a quo introductum fuerit illud interdictum. Ejus exemplum antiquius extat apud Baſilium M. in *Epiſt.* 244. ubi totum quemdam vicum ab Orationibus aut earum communione ſeparat, qui raptam puellam receperat & raptori faverat. Aliud etiam videre eſt apud Gregorium Turon. *lib.* 8. *hiſtoriæ*, *cap.* 31. ubi clauſæ dicuntur omnes Eccleſiæ Rothomagenſes, ita ut populus Divinis non adeſſet, donec reperiretur qui Epiſcopum occiderat: & hoc ſub Gregorio Magno contigit. Poſtmodum ea cenſura difficillimis temporibus in aſſiduum uſum verſa eſt: ſed cum ſæpius iniquiſſima videretur; quippe quæ innocentes pariter ac malefactores complecteretur & afficeret, in multis ſenſim remiſſa eſt illius ſeveritas. Puta ut in Eccleſiis interdictis conferretur baptiſmus parvulorum, ut ex iis viaticum deferretur ad morientes, ut in iis ſepelirentur pauperes, ut in iis Divinum officium quibuſdam celebrare liceret, Januis clauſis. Ac tandem localia interdicta fere abrogata ſunt in Concilio

Baſileenſi, *ſeſſ.*20. & in Pragm.Sanct. *tit.de interdictis indifferenter non ponendis*, & in Concord. *tit.de interdictis non leviter ponendis.*

TITULUS XIV.

De Purgatione Canonica, & Vulgari.

IN tractatu de publicis aut criminalibus Judiciis, & Rhetores & Juriſconſulti de purgatione agunt; ſed vario ſenſu. Nam M. Tullius & ex eo antiqui Rhetores purgationem vocant, cum reus non factum defendit, ſed voluntatem; & veniam petit, quod per imprudentiam deliquerit, aut per caſum, aut per neceſſitatem: ſed Juriſconſultis ea eſt juſtificatio, Arthemidoro dicitur ſimpliciter δικαίωμα, ejus Interpreti, Juſtificatio ſeu Innocentiæ ſuæ probatio, cum legitimæ probationes deſunt, & graviſſima ſuſpicio adeſt contra reum. Hodie quidem non omnino dimittitur, ſed quouſque major probatio affulſerit, ut eo caſu repetatur, ait Suetonius in *Auguſto cap.*32, & in *Domitiano cap.*9. In Jure Canonico Judex ei purgationem indicit, ſeu Jubet ut ſuam Innocentiam adſtruat.

Vel autem eam indicit ad petitionem accuſatoris, vel ad oblationem accuſati, vel etiam ex officio ſuo, *cap.*2. & 6. *ext.de purg. Can.* Cum videt eas deeſſe probationes, ex quibus condemnari poſſit reus, & tamen graviores conjecturæ, ſuſpiciones, aut præſumtiones adeſſe: nec enim ea indicitur ubi legitimæ

ſunt

ſunt probationes, *cap.* 12. *ext. de probat.* aut publice conſtat reum admiſiſſe crimen illud, cujus accuſatur, *cap.* 15. *hoc tit.* tunc enim ſententia condemnationis in eum ferenda eſt.

Duplex eſt purgatio: altera Canonica, quam ſacri Canones probant, altera vulgaris, quæ vulgi moribus introducta eſt contra ſacros Canone. Canonica fit per juramentum quod Judex reo defert in judicio. Cum enim Apoſtolus ad *Hebræos cap.* 6. dixerit, juramentum finem eſſe omnis Eccleſiaſticæ controverſiæ, facilius invaluit Chriſtianorum Innocentiam probari per judiciale juramentum. Hincmarus *de divortio Tetbergæ cap.* 6. ait eam purgationem a primis ſeculis uſitatam fuiſſe & receptiſſimam in Eccleſiaſticis legibus & externis: quod de Romanis intelligi non poteſt, quibus ea prorſus incognita fuit; ſed de Salicis, & Longobardorum, Friſionum, Alemannorum, Bajuvariorum, & Capitularibus Regum noſtrorum, in quibus omnibus frequentiſſima eſt. Olim quidem ſolus reus jurabat ſe eſſe innocentem; ſed invaluit alios etiam adhiberi, qui jurent, quod verum dicat & dicuntur conjuratores, conſecranei, compurgatores. Unde ſe purgare quarta aut ſeptima aut etiam duodecima manu, ideſt tot adhibere ad purgationem illam, quot juſſerit Judex.

Pluribus modis præſtabatur illud Juramentum, ad Evangelia, ad Sacroſanctam Euchariſtiam, ad Reliquias Martyrum, ad Crucem. Unde in Capitularibus Cruce contendere aut ad Crucem, non eſt pugnare

gnare armis in Crucis formam fabricatis; hoc non probarent ſacri Canones; nec ex pluribus teſſeris eam ſorte ducere, quæ ſignatam Crucem habeat: nam & illi ſortes rejiciunt; ſed nihil aliud eſt, quam jurare ad Crucem, aut ſuper Crucem, ut loquuntur.

Vulgaris primo fieri cœpit per ſingulare certamen inter accuſatorem & accuſatum, & aliquando alii etiam pugiles aut campiones adhibebantur. Secundo per ferrum candens aut ignitum, quod reus nudis manibus attingebat. Tertio, per aquam calidam ſeu bullientem, in quam manus immittebat. Quarto, per aquam frigidam, ut manibus & pedibus ligatis in magnum vas ea plenum conjiceretur & ſupernataret innocens, aut mergeretur reus. Exiſtimabant Veteres, Deum ſemper ita favere innocenti, ut ſemper victor aut illæſus eſſet. Ejus purgationis effectus ille erat, ut ſi deficeret reus, pro victo haberetur, *cap.* 10. *ext. de exceſſ. prælat.* ſi vinceret, abſolveretur. Sed ſacri Canones ſæpius ac ſæpius eam condemnarunt, quaſi per eam tentaretur Deus, & ab eo miracula extorquerentur: adeo tamen vulgus eam probabat, ut etiam occurrant Eccleſiaſticæ preces, quibus benedicerentur pugiles, eorum arma, ſicut & ipſamet aqua.

TITULUS XV.

De Abſolutione a Cenſuris.

HIc agitur tantum de abſolutione judiciali, non etiam de pœnitentiali. Ea eſt remiſſio vel relaxatio cenſuræ ſecundum Eccleſiæ formam conceſſa. Antiquis Canonibus fere incognitum eſt illud abſolutionis verbum. Eam vulgo dicunt pacem, veniam, reconciliationem, communionem. Cumque Patres & Sacri Canones viderent Chriſtum Apoſtolis dediſſe poteſtatem ligandi & ſolvendi, eo abſolutionis verbo uti cœperunt. In eo tractatu duo inſpicienda ſunt; primum eſt, quis dare poſſit abſolutionem; alterum eſt, quænam ſit forma Eccleſiæ, ſecundum quam danda ſit.

Nicæni Patres in *Can.* 5. ſtatuunt, ut qui a proprio Epiſcopo excommunicati ſunt, ab aliis non recipiantur, nempe in communionem: quod nihil aliud eſt, quam ut ab aliis non abſolvantur. Huic Canoni occaſionem dedit Arius, qui a proprio Epiſcopo excommunicatus, ab Euſebio Nicomedienſi abſolutus eſt, quod Theodoretus *lib.* 1. *hiſt. Eccleſ.* ait eſſe contra Apoſtolicum Canonem, videlicet XII. ad quem reſpicit dictus Canon. Et hoc ſumma ratione placuit, ut ſolvat qui ligavit; ut qui peccatum optime omnium novit, ei congruam pœnitentiam imponat; nec quis falcem mittat in alienam meſſem. Addidit *Can.* 6. *Antiochenæ Synodi*, ut ſi

quis Episcopus ab alio excommunicatum recipiat; & ipse recipiens & receptus excommunicetur. Unde dicendum absolutionem illam ipso Jure nullam esse propter defectum potestatis. Ac ne deciperentur Episcopi, aut per obreptionem excommunicati ab iis acciperent absolutionem, invaluit ut qui aliquem excommunicant, ejus nomen Diœcesanis Parochis & vicinis Episcopis denuntiet, quod ab iis publicetur ad januas Ecclesiæ, *Can. Curæ* 11. *q.*3. Cujus rei exemplum extat apud Synesium in *Ep.*58.

Quidam volunt, Summum Pont. absolvere posse quemlibet excommunicatum ex *Can.*3.& 4. *Sard. Concilii*. Et forte Ivo Carnot. bene semper in cum animatus illud probat in *Ep.*78. Sed Ecclesiæ Africanæ Patres nunquam illud pati voluisse, constat ex *Can.*138. in *Cod.Can.ejus Ecclesiæ*; sicut nec veteres Ecclesiæ Gall. Patres ex *Epistola Benedicti* 9. apud Baronium ad *an.*1034.

Quia vero injusta esse poterat excommunicatio, vel etiam recusatio absolutionis, ex *eod. Can.*5. bis in anno habenda est Synodus Provincialis, quæ causa cognita vel eam excommunicationem solvat, si quidem injusta sit, ut rectissime addit Græcus Scholiastes ad *Can.*32. *Apostol.* in *Epitome Canonum Harmenopuli*; vel excommunicatum rejiciat ad proprium Episcopum, ut ab eo absolvatur. Postea invaluit, ut appellatione interposita, idem Metropolitanus faciat; sed ea pendente reus remanet excommunicatus, quia excommunicationis sententia secum executionem trahit, *cap.*53. *ext. de appell.* idest sta-

statim atque lata est, reum ligat & afficit, nec per appellationem suspenditur, quia non homo, sed Deus ligat, cujus judicium suspendi non potest, *Can. nemo* 11. *q.* 1.

Quod si Episcopus qui excommunicavit, decedat antequam absolveret, *Can.* 32. Apostolorum non aperit quis absolvere debeat; sed addit Balsamon, vel ejus Successorem absolvere posse, vel ejus Superiorem. Ita & si excommunicatus in periculo mortis absolutionem petat, quilibet Presbyter eum absolvere potest, vel etiam a casibus Sancto Pontifici reservatis, *cap.* 5. & 26. *ext. de sent. exc.* Quam in rem eleganter Synesius in *Ep.* 67. Nemo anathemate vinctus mihi moriatur, permiserim omnibus, qui adfuerint, Presbyteris ei dare communionem, id est veniam.

In forma Ecclesiæ concedenda est absolutio, ejusque formæ primum caput illud est, ut ab eo detur qui censuram irrogavit, ut jam diximus. Secundum est, ut prius Ecclesiæ satisfiat, & iis omnibus quos ipse reus læserit. Ex Sacris Canonibus pœnitentia & satisfactio necessariæ sunt absolutionis conditiones; & ex iis Lanfrancus Cantuar. in *Ep.* 41. sic loquitur: Ab excommunicatione absolvendum non est, nisi prævia satisfactione. Sed cum sæpissime reus non ita statim satisfacere possit, invaluit eum absolvi posse, si sufficienter caveat de satisfaciendo. Pontifex in *cap.* 11. *ext. de sent. exc.* ait illud esse juxta morem Ecclesiæ: & in *cap.* 15. Illud esse potius ex consuetudine Ecclesiæ, quam

ex rigore Canonum, qui præviam ſatisfactionem deſiderant.

Ea cautio non omnino eſt de ſubſtantia abſolutionis, nam ex juſta cauſa remitti poteſt, *cap.*51.*eod.* Sed ſi reus ea præſtita, non ſatisfaciat; remanet excommunicatus, *cap.*8. *ext.de off.jud.ord.* & *cap.*32.*de appellat. in* 1. *collect.* Gaufridus Vindocin. *lib.*3. *Epiſt.*18. ait Eccleſiam ſemper eum habere quaſi nexu excommunicationis ligatum.

Denique eſt abſolutio ad cautelam, antiquis Canonibus incognita; ex quibus non datur abſolutio niſi cauſa cognita, & ad finem litis, *Can.quinquis* 4. *q.*5. ſed frequentiſſima eſt in libris decretalium, & dari cœpit vel etiam lite pendente, *cap.*40. *ext.de ſent.excom. cap.*25. *ext.de verb.ſig.* ſic dicta eſt quod detur ad majorem cautionem & ſecuritatem, ait Gloſſa ad *cap.*16. *ext.de appell.* vel ſi dubitetur de validitate excommunicationis, vel ut tutius & cautius cum excommunicato agatur, quippe qui perſonam ſtandi in judicio non habeat, *cap.*40. *ext. de ſent. exc.*

TITULUS XVI.

De Irregularitate.

LAtius patet ille tractatus & ad multa pertinet, ad Ordinationem Clericorum, ad Beneficiorum collationem, ad delinquentium coercitionem, ideoque non tam forte inconveniens erit eam rejicere in

eum

cum locum, præcipue vero cum irregularitas non procul abſit a cenſura. Verbum illud non occurrit in antiquis Canonibus, ſed cum regulas præſcripſerint, ex quibus innoteſcat quinam ordinari poſſint, vel non, qui ab iis alieni ſunt, ut eſt in *Can.17. Nicænæ Synodi*, ut vertit Dionyſius Exiguus, irregulares appellati ſunt, quaſi ſint extra eas regulas, aut, quaſi eos regulæ non admittant, *Can.9. ibid.*

Irregularitas eſt impedimentum Canonicum, quod prohibet, ne quis vel ordinetur, vel in ſuſceptis Ordinibus miniſtret, vel ad Superiores aſcendat. Eſt impedimentum ex *cap.33. ext.de teſtib.* Dicitur Canonicum, quod deſcendat ex regulis Canonum, ut eſt in *Can.19. quarti Tolet.Concilii.* Quædam utique a Jure Divino eſſe videtur: ſed cum in Evangelica lege nominatim ſtatuta non ſit, certe Jure Canonico tribuitur. Sane quædam cenſuræ occurrunt in veteri teſtamento, ſed cum ſint ex judicialibus præceptis, exoleverunt. Quod prohibet, & quæ verba extant in *cap.16. ext.de homic.* Verbum illud *Ordinetur* proprie quidem de ſacris Ordinibus dicitur, ſed ſæpius etiam ad beneficia pertinet: cumque olim ordines & beneficia ſimul omnino conferrentur, eadem irregularitas ad utrumque ſimul etiam præcludebat aditum.

Cujuslibet irregularitatis fundamentum duci poteſt ex iis Apoſtoli verbis: Oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe: quod alibi interpretatur Sanctum, immaculatum, vel ut alii vertunt, inculpatum. Unde in quibus caſibus Sacri Canones

Cle-

Clericum habent, & notant ut reprehenſibilem, iis recte dici poteſt irregularis. Hormiſda Pontifex in *Epiſt.*25. Irreprehenſibiles, inquit, eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis.

Ex pluribus cauſis oritur irregularitas, ſed nulla admittenda eſt niſi quæ in Jure Canonico exprimatur, *cap.*18. *de ſent. excom. in* 6. Unde cum dicitur in dubio eam præſumi contractam in *cap.*12.*ext. de homic.* illud ita intelligendum, ſi conſtet eam jure ſtatutam eſſe in aliquo caſu, ſed dubitetur an factum aliquod ad eum caſum pertineat; in dubio contracta præſumitur. Plures illæ cauſæ ſæpius ad tres reſtringi ſolent, ad defectus, ad delictum, ad contumaciam. Ex iis frequentiores tantum expendere juvat.

Prima oritur ex defectu vel natalium vel corporis. Forte quidem dici poteſt priorem incognitam fuiſſe antiquis Canonibus; nam in *diſt.*56. conſtat olim ordinari potuiſſe, qui ex juſtis nuptiis nati non erant, dummodo eſſent bonis moribus, nec vitia parentum ſequerentur. Ejus rei exempla occurrunt paſſim, vel etiam in Gallia, ut de Eccleſia Claromont. apud Hildebertum Cænom.in *Ep.*65.*in fin.* ſed tandem prohibitum illud fuit in filiis Presbyterorum. Eadmerus *lib.*1. *Novorum*, *ſub Alexand.II.* addit, a ſacris Canonibus: Petrus Venerabilis *lib.*1. *Ep.*28. a decretis Sanctorum Apoſtolicorum, puta Gregorii VII. in Concilio Belvacenſi ſub Conone Legato: poſtmodum Urban. II. in Claromontenſi, & Paſchalis II. in Pictavenſi, quod ibi

ad

ad omnes illegitimos productum eſt, *cap. 1. ext. de fil. Presbyt.*

Ea irregularitas non eſt ex nota delicti, quod illegitimus non admiſit, ſed ex nota defectus, qui ad Ordines promoveri vetat, *cap. 14. ext. de purg. Can.* juxta illud *Deuteronomii cap. 23.* Non ingredietur Manſer, ideſt ex ſcorto natus, in Eccleſiam Dei. Illi ipſi Pontifices Alexander III. Innocentius III. Honorius III. addiderunt eam exceptionem, ut illegitimi beneficia non obtineant, niſi a Sede Apoſtolica diſpenſationem legitimationis accipiant, in *cap. 7. 14. & 17. ext. de fil. præſb.* & ita perperam Math. Pariſ. ad *an.* 1235. novum Jus illud tribuit Gregorio IX. in verbis: Sciens (Gregorius IX.) inde Curiæ Rom. pro impetratione tali (hujus diſpenſationis) multa emolumenta provenire, ſicut ex ſtatuto Innocentii III. pro diſpenſatione plurimorum beneficiorum obtinendorum.

Secunda oritur, defectu vel vitio corporis. Sicut enim *Levit. cap. 21.* ab Altari removendus erat quaſi pollutus, qui vel maculam vel vitium habebat in corpore: ita & ex Sacris Canonibus ordinari non poſſunt corpore vitiati. Olim quidem irregularitas illa conſiſtebat tantum in eo defectu corporis, qui Eccleſiaſtica impediebat, *Apoſtolorum Can. 77.* Sed Gelaſius I. eam produxit ad alios defectus, qui ſint deformes, & ſcandalum pariant, *Can. ult. diſt. 5.* & generaliter ſtatuit, ut corpore vitiatus Deo non offeratur, in *Epiſt. decret.* apud Dionyſium Exiguum. Nam ſi defectus ille poſt Ordinationem contingat,

ab

ab Altari non removetur, quasi misericordia potius quam pœna dignus sit, ait Balsamon ad *d.Can.77.* quamvis aliter ex lege Mosaica obtineret. Utique dici potest, eam irregularitatem vix cognitam fuisse antiquioribus Græcis, ut palam est ex Canonibus Apostol. ex Constitut. Apostol. *lib.7. cap.23.* & ex responsis Balsamonis ad Episcopum Alexandriæ. Ita & quidam ex Latinis Patribus differentiam feciſſe videntur inter eum, qui se ipsum mutilavit, & eum qui ab alio mutilatus est: ut prior ad Clerum non admittatur; est enim sui homicida & opificii Dei hostis: alius ordinari possit. Ita Innocentius I. in *Epist.4.* & Gennadius in *dogmatibus Eccles. cap.71.* accipiunt & renovant *Can.1. Nicænæ Synodi*. Hodie qui corpore vitiati sunt, ordinari non possunt absque dispensatione Apostolica, quæ ad Diœcesanum missa fuerit, *cap.2. & 4. ext. de cap. Tit.Ord. vel non*.

Tertia est bigamia, ut qui duas uxores veletiam successive habuit, ordinari non possit, *to.tit.de big. non Ord.* propter illud Apostoli: *Oportet autem Episcopum esse unius uxoris virum*. Et illud: *Diaconi sint unius uxoris viri*. Quæ sic vulgo accipiuntur. Forte tamen cum Apostolus secundas nuptias permittat, & Ecclesia eos habeat quasi hæreticos, qui eas condemnant, vix est ut iis pœnam illam imponat. Præterea cum ait (virum esse) denotat tempus illud quo ille ordinatur; qui autem duas uxores successive duxit, quolibet vitæ suæ momento vir fuit unius uxoris, sicque vix ad eum respexisse videtur

Apo-

Apostolus: sed forte ad eum qui binas nuptias eodem tempore constitutas habet, de quo in *l.* 1. & 12. *d. de his qui not. inf.* puta si suam uxorem, juxta legitimam observationem non repudiavit, & aliam duxerit, qui retinet primam, *l.* 35. *d. de don. int. vir. & uxor.* Hoc nascentis Ecclesiæ temporibus frequentissimum erat, cum Judæi & Ethnici ad Christianam fidem accedebant; nam ex suis legibus repudiabant uxorem & aliam ducebant, ut adhuc passim videre est in utroque *Codice*: quod cum Christiana lege prohibitum esset, binas nuptias eodem tempore constitutas habebant, & ita ex edicto prætoris notabantur infamia, ac proinde non poterant ordinari.

Sed ad novam hanc interpretationem observandum est, Leonem Magnum in *Ep.* 1. *ultimæ Editionis cap.* 5. eos omnes habere quasi bigamos, & qui secundas nuptias inierunt (nempe successive): & qui viduarum se conjugio sociarunt: & multo magis eum qui duarum simul est maritus uxorum (proprie polygamus, a quo valde distat qui sequitur) vel eum qui ab uxore dimissus alteram duxit, aut ut alii legunt, qui prima uxore dimissa, aliam duxit. Sicque Leo agnoscit ultimum illum esse bigamum, quod videat eum binas nuptias eodem tempore constitutas habere, ideoque ait multo magis a Cleto removendum; sed quantum ad eam irregularitatem, cum aliis eam jungit.

Quidquid sit, eo Jure utimur, ut qui duas uxores successive duxit, tanquam irregularis ordinari

non

non poſſit. Leo eam vocat ſacram præceptionem; Divinam legem, Legalem, & Apoſtolicam authoritatem. Conſtat quidem undenam ea deſumat: ſed non conſtat undenam Eccleſiaſticis Canonibus eam prohibitionem adſcribat in *Ep.5. cap.3.* Vix enim eſt, ut Apoſtolorum Canonem 16. agnoſcere voluerit, cum eo adhuc tempore, omnes id genus haberentur tanquam apochryphi. S. Ambroſius in *Can. cognoſcamus diſt.34.* ait in tractatu Nicœni Concilii additam illam fuiſſe. Sed Baronius addit, eum Canonem ex iis eſſe, qui cum pluribus aliis ex eo Concilio perierunt: nec enim ſimilis extat inter viginti ſuperſtites. Quique Leoni dicuntur Eccleſiaſtici, ſunt octavus Siricii, & undecimus & trigeſimus Innocentii I. Ea irregularitas non eſt a delicto, cum is qui ſecundam uxorem ducit, nullum admittat, inquit S. Auguſtinus *de bono conjug. cap.18.* ſed eſt ex defectu Sacramenti, ut eleganter exponit Innocentius III. in *cap.5. ext. de big. non ord.* Cum nempe illud relationem non habeat ad matrimonium inter Chriſtum & Eccleſiam. Eoque tantum reſpicit Leo Magnus in *ead. Ep.1. cap.3.* nec omnino præexenda eſt infamia ſecundarum nuptiarum, quæ Jure nulla eſt; atque etiam Concilium Toletanum quartum enumerans eos, qui non poſſunt ordinari, infames omnino ſeparat a Bigamis.

Omnes antiqui Canones (excepto decimoſeptimo Apoſtolorum) & Patres, bigamos expellunt tantum a ſacris Ordinibus, nunquam a minoribus: ſed tandem illud etiam ad eos productum fuit. Ita

& Apo-

& Apostolus meminit tantum secundæ uxoris, sed Canones & Patres addiderunt eum qui viduam, vel meretricem duxerit uxorem, & quidam eam vocant bigamiam similitudinariam, quod fusius exequi non patiuntur Institutionum angustiæ.

Denique disputatum est de eo, qui unam uxorem habuerit ante Baptismum, & alteram postea, utrum esset irregularis? Græci negabant, asserebant Latini, quorum sententiam probavit tandem S. Hieronymus in *Apologia contra Rufinum*, quia Baptismus tollit quidem peccatum, non etiam secundas nuptias, quæ peccatum non continent.

Quarta est ex delicto: ait enim Apostolus: *Oportet autem Episcopum esse sine crimine*. Idem alibi de Diaconis. Ea non est Censura, nec unquam sacri Canones eam retulerunt inter Ecclesiasticas Censuras, Nam & præter eam, reus alia pœna coercetur; Canones autem vix patiuntur pro eodem delicto duas irrogari pœnas, *ne bis in idipsum*. Antiqui Canones eos Clericos habent ut irregulares, qui non tantum rei sunt Canonicorum criminum, sed & quorumlibet Capitalium. Et Gregorius Magnus declarat, quænam sint capitalia crimina, quæ per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, *lib.* 12. *Reg. Ep.* 6. & alibi, ea quæ in textu heptatici morte mulctata sunt, *lib.* 7. *Reg. Ep.* 50. Tertium Aurelian. Concilium in *Can.* 7. & 8. furtum & fallitatem addit, quia, inquit, & ipsa capitalia sunt crimina. Ac fortè dici potest, generaliter omnia illa crimina irregularitatem parere, quæ depositioni & pœnitentiæ publi-

ce ſubjacent. Imo & quidam volunt, hoc etiam in iis obtinere, quæ occulta aut ſecreta ſunt: ſed hoc in foro poli admitterem, non in foro fori, ut ex iis amittantur beneficia. Nam in *Can.* 19. *quarti Tolet. Concilii* irregulares dicuntur, qui in aliquo crimine detecti ſunt. In *Epiſtola Zachariæ ad Bonifacium Mogunt.* Si in adulterio vel fornicatione inventi fuerint. Nec multo poſt: Qui adulteri & fornicatores probantur. Ac tandem olim ex quocumque homicidio naſcebatur irregularitas; ſed hodie diſtinguitur inter neceſſarium, voluntarium, & caſuale, ut colligitur ex *cap.* 1. 10. & 13. *ext. de homic.* & ex *cap. ult. eodem in Clem.*

Huic non abſimilis eſt ea, quæ oritur ex judicio ſanguinis, cui aliquis adfuerit, quod aliquis pronuntiaverit, aut interfuerit ubi exerceatur, *cap.* 9. *ext. ne Cler.* Innocentius I. in *Ep.* 2. *cap.* 4. ait ſe nihil de ea re legiſſe a majoribus definitum, quia, inquit, meminerunt poteſtates illas conceſſas fuiſſe a Deo, & permiſſum eſſe gladium propter vindictam noxiorum. Statim tamen illud probavit in *Ep. ſeq.* videlicet judicium ſanguinis impedire Ordinationem, cum mitis ſit & clemens Eccleſia, nec quærat mortem peccatoris. Et obſervandum eſt ex *eadem Ep.* 3. eum pervenire non poſſe ad Clericatum, qui cauſas egerit, hoc eſt, inquit, poſtulaverit, quod apud Juriſconſultos idem eſt atque, accuſaverit, & reum peregerit, ut Advocatus qui ita poſtulaverit, fiat irregularis. Secundum Matiſcon. Concilium in *Can.* 18. Definimus, inquit, ut ad locum examinationis

tionis reorum nullus Clericorum accedat, neque interſit ubi reus aliquis interficiendus eſt. Addit undecimum Tolet.Concilium in *Can.6.* ut qui tale aliquid fecerit, & conceſſi ordinis honore privatus, & loco ſuo, perpetuo damnationis teneatur religatus ergaſtulo: vel ut eſt in *cap.10.ext.de exceſſ.præl.* & ſubdit, qui contra fecerit, fit irregularis. Iis adde Epiſtolam 59. Arnulfi Lexovienſis.

Quinta eſt ſervitus *to.tit. Decret. de ſervis non ordin.* eaque irregularitas omnino eſt Apoſtolicæ traditionis: & quod Apoſtolus Oneſimum ſervum ordinare noluerit, ſed remiſerit ad Philemonem dominum,ut ordinaretur: & quod extet in *Apoſt.Can.82.* Sicque vix eſt, ut Leo Magnus tum primum ſervos a Clero removiſſe dicatur ex ejus *Epiſt.3. ult. Edit.* ubi præcipua ejus prohibitionis ratio eſt, quia Eccleſia tollere noluit jura dominorum in ſervos:& nihili eſt alia propter utilitatem ſervilem: nam ait Apoſtolus: *Apud Deum non eſt ſervus, non eſt liber, omnes unum ſumus in Chriſto.* Invaluit tamen,ut qui ſciens prudens, inſcio vel invito Domino, ſervum ordinaverit, ille quidem remaneat Clericus, ſed ordinator ille duos alios ejus æſtimationis ſervos Domino reddere teneatur, *Can.ſi ſervus abſente diſt.54.* qui deſumtus eſt ex *Can.8. primi Aurelian.Concilii.*

Sexta eſt obligatio ad rationes reddendas: vel publicas, quibus obligati ſunt curiales & publicani, quos elegantiſſime Tertullianus vocat ex officio peccatores in *lib.de pudic.cap.9.* vel privatas,puta coloni adſcriptitii, aut quilibet conditionales homines,

& nec etiam ordinari poſſint, *tot. tit. decretal. de oblig. ad ratioc. non Ordin.* Quod ita forte placuit, ne debitores occaſione ſacri Ordinis deteriorem creditorum ſuorum conſiderationem faciant. Sed nec ordinandi ſunt Tutores, Curatores, Actores, aut Procuratores, niſi poſt reddita ratiocinia, ut ex Concilio Carthag. exſcribit Ferrandus Diaconus.

Ac tandem irregularitas oritur ex contumacia & inobedientia, *tot. tit. decret. de Cler. excomm. dep. interd. miniſt.* Et primo quidem Clericus nominatim majori excommunicatione perculſus omnino eſt irregularis, *cap. 7. eod.* ac ſi ante abſolutionem celebret, deponitur in perpetuum, & ita fit laicus, *cap. 4. eod.* Si ſit tantum minor excommunicatio, non fit irregularis ut amittat ſua beneficia, ſed tantum ut alia non acquirat. Unde cum Summus Pontifex alicui confert Beneficium, eum abſolvit ab excommunicatione ad effectum illius obtinendi non quantum ad Eccleſiam & ſatisfactionem ei debitam. Quod ſi Clericus ille ante abſolutionem celebret, dubitatum eſt olim an fieret irregularis? Sed Gregorius nonus decidit eum non fieri, *cap. ult. eod.* Et forte ratio ea eſt, quia minor excommunicatio removet tantum a perceptione Sacramentorum, non etiam ab Ordine: ac proinde Clericus ille cum celebrat, non omnino facit contra cenſuram. Peccat quidem graviter, quod eam contemnat, ideoque imponenda eſt ei gravis pœnitentia, ſed non fit irregularis, quia ſola ipſa celebratio non eſt præcise contra cenſuram.

Denique Pontifices docent, pluribus modis irregularitatem

gularitatem tolli, ſicque vix eſt ullam eſſe perpetuam. Primo quælibet tollitur per diſpenſationem, quæ detur ab eo, qui ejus dandæ poteſtatem habeat, olim Diœceſanus Epiſcopus, hodie, Rom. Pontifex; ac ſi ea ex delicto proveniat, opus eſt etiam indulgentia Principis. Secundo, quæ eſt a defectu natalium, tollitur profeſſione monaſtica, *cap.* 1. *ext. de fil. preſ.* Tertio, qui per ſequens patris & matris matrimonium legitimatus eſt, definit eſſe irregularis, quaſi ſublata cauſa, tollatur effectus.

TITULUS XVII.

De Privilegiis.

HUc uſque de iis quæ Jure communi obtinent, nunc de iis quæ Jure ſingulari, a quo non multum differt privilegium; ſic dicitur quaſi lex privata, ſeu in primos, ideſt privatos, ſeu ſingulos lata. Et ab effectu quaſi privaret legem, ait Caper Grammaticus, cum nempe privatum aliquem a generali lege ſolvit & eximit. Unde ſæpius odioſum & reſtringendum proprie quidem non eſt lex, quippe quæ ſit genetale Juſſum Principis, nec feratur in ſingulas perſonas: ſed tamen translato nomine, lex dicitur, ait Gellius *lib.* 10. *cap.* 20. Illud ita definitur: Lex privata, quæ ſpecialiter aliquid indulget alicui perſonæ vel loco, *cap.* 25. *ext. hoc tit.* Aliquando generaliter accipitur, aliquando ſimpliciter. Primo caſu continet etiam immunitates & exemtiones. Secundo

eundo continet honores, poteſtates, & jura, quæ quibuſdam in alios conceſſa ſunt. Immunitates autem ſunt vacationes aut libertates a functionibus publicis: Exemtiones dicuntur libertates a poteſtate, & juriſdictione Superiorum.

Sicut in Jure civili privilegia originem habent ab ipſa *lege* 12. *tab.* quæ Juris civilis fons & origo, apud Tacitum: Ita & in Jure Can. eam habent a Nicæno Concilio in *Can.*6. quæ prima fuit etiam generalis lex Eccleſiæ, poſt pacem ei datam; & ſic eadem eſt origo legum, & privilegiorum. Quia tamen Canon ille πρεσβεῖα, ſeu antiqua privilegia quibuſdam Eccleſiaſticis data confirmat; quæ nempe ſola vetuſtas iis dederat, ait Nicolaus I. in *Ep.*39. dici poteſt Eccleſiaſtica privilegia eſſe traditionis Apoſtolicæ, cum ei adſcribenda ſint ea omnia, quæ per univerſam Eccleſiam obtinent, cum non extant in ſcriptis Apoſtolorum, ait S. Auguſtinus *lib.*3. *de Bapt. contra Don. cap.*7.

Privilegia ſunt aut perſonalia aut localia. Illa vel certæ cuidam perſonæ conceſſa ſunt, eaque mortua expirant, vel certo generi perſonarum, puta Monachis hujus aut illius Ordinis, eaque perpetua ſunt: quamdiu nempe id genus Monachi egerint in orbe Chriſtiano. Localia quæ quibuſdam Religioſis locis data ſunt. Non aliorum fere formulas habet liber diurnus Roman. Pontificum non ita pridem editus. Sic dicuntur quod ita iis locis adhæreant, ut qui locos illos tenuerint, iis gaudeant privilegiis, puta Canonici in locum Monachorum ſuffecti, aut

Mo-

Monachi alterius Ordinis; locis quippe concessa sunt non personis. Ea omnia non sunt æqualia, varias habent clausulas, & sæpius sunt de rebus spiritualibus: quales sunt Abbatis electio & benedictio, monastica disciplina, Sacramentorum administratio, prædicatio Verbi Divini; & de rebus temporalibus, qualia sunt omnia bona & Jura Monasteriorum aut Ecclesiarum. Ut plurimum etiam dantur Monachis aut Canonicis: prius de monasticis, cum antiquiora sint.

In iis Monachi cum servis comparari possunt. Sicut enim omnes homines natura sunt liberi, sed Jus gentium servitutem introduxit, & statim postea usu exigente & humanis necessitatibus introduxit etiam manumissionem, & ita duo genera hominum esse cœperunt, ut alii sint liberi, alii vero servi: ita & in privilegiis monasticis tria notanda sunt. Primum est, omnes Monachos natura & origine sua liberos esse a potestate & jurisdictione Diœcesanorum Episcoporum. Primo enim vetustiores Orientalium & Occidentalium Monachorum Regulæ ne quidem Episcoporum meminerunt; ac licet quidam ex iis essent Episcopi; nihil tamen Juris in suos Monachos dederunt Episcopis, nec alios eorum Superiores agnoscunt, quam Abbates & Præpositos. Secundo Cassianus ex peragratis Orientalium Monasteriis regulam hanc exportavit, ut Monachi modis omnibus Episcopatus & mulieres fugiant, *lib.*4. *de institutis renuntiantium, cap.*17. & S.Hieronymus in *Epistola ad Pammachium* ait, suos Monachos Diœcesano

ſuo nihil aliud debere, quam honorem, & in *Epiſtola ad Theophilum*, eos eſſe liberos. Tertio Sulpitius Severus in *Dialogo de virtutibus Orientalium Monachorum cap.*4. ait iis ſummum Jus eſſe ſub Abbatis Imperio vivere, & ab eo per omnia pendere. Denique Carthagin. Concilium initio ſexti Seculi habitum *Seſſ. ſecunda* (quæ non ita pridem edita eſt) ſic habet: Erunt igitur omnia omnino Monaſteria, ſicut ſemper fuerunt, modis omnibus libera. Primævam hanc libertatem facile adſtruit primæva etiam earum conditio, quod fuerint omnino laici; ac proinde non aliter Epiſcopis ſubditi, quam alii quilibet laici. Unde in Conciliis ante Chalcedonenſe nihil de ſubjectione Monachorum.

Secundum eſt, ſtatim atque ordinati ſunt Monachi, eos ſibi ſubjicere tentarunt Epiſcopi in vim illius ordinationis, ait ibidem S. Hieronymus, & ejus fere tempore *III. Arelat. Concilium* ſic loquitur: Rationis & religionis plenum eſt, ut Clerici Monaci ad Ordinationem Epiſcopi debita ſubjectione reſpiciant, laica vero Monaſterii congregatio ad ſolam & liberam Abbatis diſpoſitionem pertineat. Unde S. Benedictus in *cap.*69. *ſuæ Regulæ* Monachum Presbyterum relinquit correctioni Epiſcopi. Cumque cohiberi non potuerit ea vana gloria (ſic vocant Veteres eorum Patres) ut omnes plane Monachi promoverentur ad ſacros Ordines; invaluit, ut Jure communi Epiſcopis ſubjecti eſſe dicerentur.

Tertium eſt, ſtatim atque Monachi Epiſcopis ſubjecti eſſe cœperunt, ſe ab eorum poteſtate libera-

re

re tentarunt per exemtiones, ut palam est ex utroque illo Concilio Carthag. & Arelat. quod laudavimus. Earum utique frequentior exemtionum causa occurrit Episcoporum vexatio & oppressio. Gregorius Magnus passim, Gregorius VII. *lib.* 2. *Reg. Epist.* 69.

Paulo aliter de Canonicis sentiendum. Nam omnino verius est ab initio seu ab ipsa origine, a prima institutione subditos illos fuisse Diœcesanis Episcopis. Faciebant quippe cœtum Presbyterorum, ait S. Ignatius ad *Antiochenses*, qui Episcopali Jurisdictioni subjacebant: nec nisi tardius exemtiones quæsierunt eadem ipsa ratione, qua Monachi.

Aliquando tamen illi ipsi Episcopi ea privilegia tum primum dare cœperunt Monachis, ut eorum quieti consulerent. Et ex eo usu Marculfus sub prima Stirpe Regia, primam eorum formulam exscripsit. Ea dabant sæpius in Synodis Provincialibus, & a Coepiscopis subscribi curabant: aut etiam eadabant ex consensu Cathedralium Canonicorum, quia exemtiones illæ quædam erant alienationes Jurisdictionis Episcopalis, *cap.* 4. *ext. de iis quæ fi. a præl. sine cons cap.* & ad petitionem Fundatorum & Regum. Primo quidem Reges ab Episcopis data privilegia Regali præcepto confirmabant, cujus formulas subjicit Marculfus *ibid.* cum ea Epigraphe: *Concessio Regis ad illud Privilegium*. Sed postmodum ea ipsa privilegia dederunt.

Ac tandem iis Episcopalibus privilegiis accesserunt etiam Apostolicæ confirmationes, ut nulli ea

infringere auderent, ait Hincmarus Rem. in *Opuſculis cap.* 26. *in fin.* Imo & illi ipſi Summi Pontifices dederunt eas exemtiones. Nihil frequentius apud Gregorium Magnum & alios. Nec dicendum eſt, primum illum eſſe Authorem eorum privilegiorum: nam quædam a ſuis deceſſoribus data confirmat *lib.* 7. *Reg. Ep.* 115. *& ſeq.* Conſtat quidem de facto, quod videlicet ea dederint; conſtat etiam de Jure, nam ea dari poſſunt ab iis qui legis condendæ poteſtatem habent, qualis eſt Summus Pontifex, ut diximus *lib.* 1. Quamvis autem Monaſteria exemta ſint, & quomodocunque habeant privilegia, ſemper tamen Diœceſano Epiſcopo honorem & reverentiam debent. Cumque adminiſtratio Sacramentorum, & prædicatio verbi Divini proprie ſint munia & functiones Clericorum, quas Monachi omnino acceperunt ab Epiſcopis, ut etiam agnoſcit S. Hieronymus cum tertio Arelat. Concilio, dicendum eſt religionis & rationis plenum illud eſſe, ut in iis debita ſubjectione ad Ordinationem Epiſcopi reſpiciant, perinde ac alii quilibet Clerici.

TITULUS XVIII.

De Diſpenſationibus Eccleſiaſticis.

ALiter adhuc Juri Canonico derogatur, puta per diſpenſationem Eccleſiaſticam: cumque tractatus ille in omnes fere Juris illius articulos excurrat, non tam male forſan ſubjicitur ad calcem iſtius operis.

ris. Tum primum tollenda est homonymia, & postea videndum quid rei sit. Quam Græci appellare solent *οἰχονομίαν*, Latini Canonistæ dispensationem vocant. Illi triplicem agnoscunt œconomiæ speciem: ut altera sit de rebus plane Divinis, puta cum Incarnationem vocant *οἰχονομίαν*, sicut & Divinam Providentiam, & Verbi Divini Prædicationem: altera de administrandis rebus Ecclesiasticis: altera de disciplina Ecclesiastica, & ejus Canonica relaxatione. Sic etiam Latini Incarnationem vocant dispensationem. Anonymus in *Breviario fidei a Syrmundo edito in principio*, & Lupus Servatus in *lib. de trib. quæst.* Quæ est de administrandis rebus Ecclesiasticis, usitato etiam Jurisconsultis vocabulo dispensationem vocant. Unus pro omnibus sufficit Agobardus, qui Librum edidit *de Dispensatione rerum Ecclesiasticarum*, quæ est de relaxanda Ecclesiæ disciplina. Eam quoque vocant dispensationem S. Augustinus in *Epist.* 19. & Gelasius in *Epist.* 6. *in princ.* & omnes Recentiores. De prima & secunda specie non agitur in *hoc tit.* sed tantum de tertia.

De ea longiorem tractatum instituere, nec istius est loci, nec nostri instituti, sed videre breviter quid ea sit, a quibus dari possit, qua de causa, & in quibus rebus. Ea sic definiri solet: Provida Juris relaxatio. Durandus seu Speculator latiorem hanc ejus definitionem affert, ut sit provida Juris communis relaxatio utilitate seu necessitate pensata. Veteres fidei nostræ Patres usurpatam eo sensu dispensationem ab ipso Apostolo acceperunt. Cum enim vi-

derint, eum ipsum circumcidisse Timotheum, Petro restitisse in facie quod circumcideret gentes, se totondisse quasi Nazaræum, & quasdam cæremonias exercuisse Judæorum, dixerunt ea omnia facta fuisse οἰκονομικῶς dispensative. Ivo Carnot. in *præfatione* (quam ejus decreto & panormiæ affixam video) pluribus exemplis probat, apud Sanctos Patres antiquissimam esse illam dispensationem; imo & dici potest eam legi valde convenire. Nam legis virtus est etiam permittere, quod nempe legi repugnat utcumque. Et hoc nihil aliud esse quam dispensare, scribit S. Chrysostomus in 2. *ad Galatas*.

Ejus dispensationis effectus ille est, ut integro, sincero, & incorrupto permanente Canone, atque inter alios omnes vim suam obtinente, is cui ea dispensatio indulgetur, a vinculo & obligatione Canonis absolvatur. Eleganter illud describit Eulogius Alexandrinus apud Photium in *Biblioth. Cod.* 237. cum ait sæpenumero Ecclesiam aliquid indebitum tolerare, & amplecti ad breve tempus, ut continuum & inconcussum robur pietas accipiat, & ad dissolvendos eorum insultus, qui veritati insidiantur, dum interim Ecclesiæ Rectores de accurata veritate nihil quidquam remittunt.

Ille idem Eulogius ibidem ait, œconomiæ rationem non omnes admittere arbitros, seu non omnes eam indulgere posse, sed tantum Christi Ministros atque Dispensatores Mysteriorum Dei, & quibus Pontificalium thronorum curam, & fidem leges crediderunt. Tales sunt Episcopi, quibus olim solis com-

competebat dispensationum concedendarum potestas. In *Can.12.Nicæni Concilii* Episcopo licet de severitate pœnitentiæ aliquid humanius cogitare, idest dispensare. Eadem potestas ei conceditur in *Can.2.&4. Ancyranæ Synodi*, & in *Can.42.Carthagin.* Constat etiam, ideo Episcopos ægre tulisse, quod frequentius Martyres pacem & veniam darent lapsis, quia genus illud dispensationis ad solos Episcopos jure communi pertinebat. Adde Photium in *Nomocanone tit.9. cap.39.* ubi observat, quod Episcopi post peccatoris condemnationem, ei ad meliorem frugem revertenti Canonicam pœnam remittere, aut utique remittere possunt, quod non fit nisi per dispensationem, nec illud liceat publicis judicibus. Eam differentiæ rationem subindicat, quod facti quidem quæstio in eorum judicum potestate sit, non etiam Juris authoritas, *L. ordine 15. d. ad Municip.* sed Sacri Canones omnem Juris authoritatem dederint Episcopis.

Constat etiam, dispensationum concedendarum potestatem olim competiisse Synodis, & quidem Provincialibus, ut colligi potest ex *Epistola S.Athanasii ad Rufinianum Episcopum*, & ex *Can.5. Nicæni Concilii*, ex multis *Canonibus de postulatione*, & *translatione Episcoporum*, quæ utraque fiebat aut permittebatur in perfecta Synodo Provinciæ. Quibus adde Ant. Augustinum in *Epitome Juris Pontificii*, ubi agit *de majoribus Causis*, quæ in Synodis peragebantur. Ac tandem eo fluxit Ecclesiastica disciplina, ut Romanus Pontifex omnes fere dispen-

fationes ſibi vindicarit. Varias & bene multas ejus rei probationes congerunt Illuſtriſſimus de Marca *lib.3. de Concordia Sacerdotii & Imperii, cap.13. & ſeqq.* & eruditus Thomaſſinus in *libris de Eccleſ. Diſcip.*

Et ita Epiſcopi hodie in ſuis Diœceſibus diſpenſare non poſſunt, niſi in caſibus in novo Jure nominatim expreſſis, quique relicti ſunt Ordinariis; quia, inquiunt, vocati ſunt tantum in partem ſollicitudinis, non etiam in plenitudinem poteſtatis. Eos omnes caſus, & in quibus diſpenſare poſſunt, & in quibus non poſſunt, accurate colligit Durandus, ſeu Speculator in *tit. de diſpenſatione Epiſcoporum*. Adde Concilium Tridentinum in variis locis, ac potiſſimum in *Seſſ.24. de Reform. Matrimonii, Can.5. & 6.* Abbates etiam regulares diſpenſare poſſunt, in iis videlicet, quæ ſunt de rebus Monaſticis. Et rectiſſime S. Bernardus *de præcepto, & diſpenſat. cap.7.* ait, Abbatem diſpenſare non poſſe de iis, quæ in regula de ſpiritualibus tradita ſunt, quia non eſt ſupra regulam; ſed aliquando de iis diſpenſare poſſe, quæ in corporalibus conſtant obſervantiis.

Sapienter Symmachus Pontifex in *Epiſt. ad Avitum Viennenſ. apud Dacherium to.5. Spicil.* ait, quod fit præter regulam, modo ſit ex juſta cauſa, regulam non infringere: & hoc nihil aliud eſt, quam diſpenſationem non eſſe concedendam abſque juſta cauſa. Nihil frequentius in libris Juris Canonici. Quænam ea ſit juſta cauſa, docet potiſſimum illud S. Bernardi *lib. de Conſiderat.* Deinde quæritur inter

di-

diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur; ubi neceſſitas urget, excuſabilis eſt diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt, utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis eſt diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio. Ivo Carnot. in *ead. præfat.* ait, ſi honeſta vel utilis ſequatur compenſatio, poteſt præcedere authoritate Præſidentium diligenter deliberata diſpenſatio. Quidam alias cauſas afferunt, ſed quæ ad duas illas referantur. Vide Gratianum paſſim, ac potiſſimum ad quoſdam Canones *cauſæ primæ, quæſt.7.*

Omnes quidem agnoſcunt, illicitam eſſe illam diſpenſationem, quæ ſit abſque juſta cauſa: ſed & forte verius eſt eam quoque invalidam eſſe. S.Bernardus *laudato loco* ait, eam non eſſe fidelem diſpenſationem. Gaufridus Vindocin.in *Opuſc. cap.* 5. ait, eam rationi ſimul & veritati contradicere. Addendum eſt,eam eſſe contra ſacros Canones, ac proinde ipſo Jure nullam, eorum inſtar quæ fiunt contra leges, *l.5. C. de legib.* Quidam volunt, eam ipſo Jure valere propter authoritatem diſpenſantis, ut quam velit legem ferre, & ad libitum tollere, aut temperare poſſit: ſed cum ejus authoritas illa ſit a Deo, ſi quidem diſpenſatio injuſta ſit, dici nunquam poteſt, eam a Divina authoritate deſcendere.

In diſpenſationibus concedendis regulæ illæ obtineant neceſſe eſt. Primo,cum dicitur Canonicam illam eſſe diſpenſationem, quæ fiat neceſſitate vel utilitate ſuggerente, obſervandum eſt illud

S.Ber-

S.Bernardi, *utilitas dico, non propria ſed communis.* Qui diſpenſationem indulget, quærere non debet quæ ſua ſunt, ſed quæ ſunt Dei, videlicet ad communem & publicam ſalutem. Inclinare non debet humanis favoribus, humanum favorem auſpicari non debet, ait Arnulphus Lexovienſis in *Epiſt.* 26. Utique antiqui Canones nullam fere privatorum rationem habent in diſpenſationibus indulgendis, ſed præcipue publicam utilitatem inſpiciunt. Sequiori ævo, nempe a duodecimo ſeculo, jam Romani Pontifices nobilitatem petentis, meritorum prærogativam, morum honeſtatem, bonam famam inſpicere cœperunt, quaſi juſtas diſpenſationum cauſas, ut paſſim occurrit in libris decretalium.

Sanctiſſima etiam eſt ea regula, quam Gaufridus Vindoc. affert *laudato loco*: Diſpenſationes aliquando in Eccleſia faciendæ ſunt, non quidem, amore pecuniæ vel quolibet humano favore, ſed pia & miſericordi intentione. Unde Innocentius I. diſpenſationem vocat miſericordiam.

Vulgo dici ſolet, vix olim conceſſam fuiſſe diſpenſationem infringendi Canonis, ſeu datam fuiſſe velut in anteceſſum ad infringendum aut violandum Canonem, ſed tantum infracti aut violati, ut illud toleraretur bono publico, & ſevera ejus pœna utcunque temperaretur. Hoc quidem ita obtinebat ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ut plurimum: ſed tamen multa ejus diſpenſationis exempla occurrunt in antiquis Canonibus & hiſtoriis Eccleſiaſticis, quæ data eſt ad infringendum Canonem, puta ad Poſtulationem, ad

Trans-

Translationem, ad Ordinationem, atque etiam ad Matrimonium. Regulariter quidem Eccleſia Romana ſolet diſpenſatorie multa infirma tolerare, poſtquam patrata ſunt, ait Ivo Carnot. in *Ep.*260. vix permittit ut fiant. Nec Summus Pontifex permittere poteſt, quod puta malum eſt, ait S.Bernardus in *Epiſt.*7.Regulariter indulgentia ſeu diſpenſatio culpam prævenire non debet, ne ſecuritas alat audaciam, & ad delinquendum fiducia remiſſionis invitet, ait Arnulphus Lexov.in *ead.Ep.*26.Sed tamen conſtat, nec incognitas nec infrequentes olim fuiſſe diſpenſationes infringendi Canonis. Et forte dici poteſt, frequentius uſurpatas illas fuiſſe ab undecimo ſeculo, non tam ex vitio Pontificum, quam temporum, quibus ea erat fidelium contumacia,contemtus ille Canonum, ut vix aliquid facere vellent ex ſtatutis Eccleſiaſticis, ideoque ſæpiſſime opus erat relaxatione ſeu diſpenſatione, ait S.Anſelmus *lib.*3. *Epiſt.*41. quam ipſam quaſi nondum editam exſcribit Juretus ad *Epiſt.*214. *Ivonis Carnot.*

Denique videndum ſupereſt, in quibus rebus dandæ ſint diſpenſationes. Hoc diligentius exequitur Ivo in *cod.præfat.*cum ait,præceptiones aut prohibitiones vel eſſe immobiles, vel eſſe mobiles. Eas vocat immobiles, quas lex Divina ſanxit: mobiles, quas lex æterna non ſanxit; ſed poſteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, non ad ſalutem principaliter obtinendam, ſed ad eam tutius muniendam. Et ſtatim ſubjicit: In his, quibus obſervatis ſalus acquiritur, vel in quibus neglectis mors

indubitata conſequitur, nulla eſt adhibenda diſpenſatio: ſed ita ſunt omnia mandata vel interdicta ſervanda, ſicut ſunt æterna lege ſancita. In his vero, quæ propter rigorem diſciplinæ vel muniendam ſalutem, poſteriorum ſanxit diligentia, ſi honeſta ſit & utilis compenſatio, poteſt præcedere authoritate Præſidentium diligenter deliberata diſpenſatio.

Ex primo eorum capite diſpenſatio Juris Divini non datur, S. Cyprianus in *Epiſt.*68. *in princ.* Aliquid cuiquam largiri non poteſt humana indulgentia, ubi intercedit & legem tribuit Divina præſcriptio. Gaufridus Vindoc. in *tractatu de Ordinat. Epiſcop.* Romana, inquit, Eccleſia Divinarum ſcripturarum legem ſolvere non debet, ſed conſervare. Summus Pontifex Jura Divina & naturalia interpretari poteſt, non etiam de iis diſpenſare. Differentiam hanc rectiſſime facit Grotius inter diſpenſationem & interpretationem *lib.*2. *de Jure pac.& belli cap.*20. De prima illa diſpenſatione Juris Divini & naturalis vide Gratianum in *diſt.*13. & 14. Sed nihil frequentius, quam ut ex juſta cauſa diſpenſari poſſit contra Canonicas inſtitutiones, ut loquitur Ivo, ſeu adverſus decreta Canonum.

TITULUS XIX.

De Officio Judicis.

IDest de eo quod facere debet Judex, ait Marcus Tullius, 1. *de Invent.* atque etiam officium significat potestatem: unde in Glossis nomicis ὀφφίκιον ἐξουσία, sicque in *hoc tit.* agitur de iis quæ Judex facere debet & potest. Justinianus in *eod. tit.* de eo tantum Judice agit, qui addictus sit certæ cuidam actioni; & rectissime quibusdam propositis exemplis docet, quid facere debeat. Nam ejus actionis natura Judici pleraque indulgere dicitur in *l. & si quis* 14. *§ idem Labeo* 13. *d. de relig. & sumt. fun.* Sed cum in Jure Canonico actionum subtilitas exoleverit, ut olim diximus, alia est ejus tituli methodus. Nec tamen in eo Jure Judex contemnere debet variam hanc eorum naturam, ex qua passim ei pleraque facienda incumbunt, quamque ideo addiscere debet ex libris Juris Civilis.

De officio Judicis, videlicet Ecclesiastici. Vel autem est ordinarius, vel delegatus. Prior ille dicitur, qui ordinario Jure Provinciam aut Diœcesim regit, qui ex ordine solito judicat, ad quem imprimis recurrendum est. Sic appellatur ad differentiam Judicis delegati, & ejus qui Jurisdictionem habeat tantum, vel per appellationem vel ad supplendam Ordinarii negligentiam. Delegatus ille est, qui extra ordinem datus est ad certam aliquam litem.

tem. Olim quidem illi ipſi Epiſcopi (qui ſunt veluti κατ' ἐξοχὴν, Ordinarii Judices) ſumma ſuadente charitate, ſe litibus judicandis aſſidue incumbebant, atque ita ut conquerantur S. Ambroſius, & S. Auguſtinus, quod ita Juri dicundo præeſſe teneantur in dies, ut aliis Diœceſanorum ſuorum morbis conſulere non poſſint. Sed ſenſim omnes illud depoſuerunt & rejecerunt in ſuos Vicarios, qui poſtmodum appellati ſunt Officiales. Eoque res illa fluxit, ut non amplius illi ipſi ſuam Juriſdictionem exerceant, ſed eorum nomine illi tantum Officiales, ut jam olim diximus, qui jam ſua poteſtate abutebantur ſub Alexandro III. eorumque varios exceſſus enumerat ejus æqualis Petrus Bleſenſis in *Epiſt.* 25.

Ad cujuslibet Judicis officium pertinet generalis ea regula, ut non aliter judicet, quam ſacris Canonibus aliisve Conſtitutionibus Eccleſiaſticis proditum eſt; ſed & omnino addendum, ut judicet ſecundum leges Regias, & receptos mores, alioquin vel ipſo Jure nulla erit ejus ſententia, *cap.* 1. *ext. de ſent. & interl.* Vel locus erit appellationi tanquam ab abuſu, quod ſua poteſtate abutatur. Ea eſt concordia Sacerdotii & Imperii, ut ſemper Judex Eccleſiaſticus Principum Conſtitutiones ſequatur & obſervet: atque ita ut ſi legi Divinæ vel Canonicæ non repugnent, eas ſequi teneatur, vel etiam Jure poſſit, ait Gloſſa prima ad *cap.* 7. *ext. de Conſtit.* & ex ea Gregorius Tholoſ. ad *tit. de ſponſ. & matr.* Nec quid frequentius in libris noſtris. Unde in matrimoniis filiorumfam. ſine conſenſu parentum ex regiis Conſtitutionibus

stitutionibus ea tenentur habere & declarare tanquam non valide contracta: ex iis decimarum præstationem definire juxta receptam Regni Consuetudinem: ea omnia diligenter observare, quæ pro beneficiis, eorum collatione, resignatione, reservatione, pensione, ordinata sunt, & alia id genus.

Debet etiam observare bonam terræ consuetudinem, *cap.* 3. *ext. de eo qui mitt. in poss.* sicut & formam judiciorum seu receptum judiciorum Ordinem, *cap.* 22. *ext. de accusat.* Quod est Innocentii III. ex ejus *lib.* 1. *reg. Ep.* 1. Nec illud tantum de ea forma intelligendum, quam regiæ Constitutiones conceptissimis verbis præscripserint, sed etiam quæ in quolibet senatu obtinet ex ejus Decretis, *Il doit garder les Reglemens de son Parlement*: sic enim Græci Canonistæ Harmenopulus, Balsamon, Photius sequuntur, & probant ἐπαρχικὰ, seu generalia edicta sublimissimæ sedis prætorianæ, de quibus in *l. pen. Cod. de fidejuss.*

Solemnis ejus formæ judiciariæ non contemnenda est ea regula & præcipue in nostro jure Pontificio, ut Judex caute videat, an imploretur ejus officium per modum actionis, seu an illud pro actione proponatur; an vero illud imploretur in exercitione alicujus litis institutæ. Primo casu, puta si quis magistratum adeat, & ab eo postulet de damno infecto; ea postulatio est pro actione. Unde ille dicitur experiri in *l. cum postulasset* 44. *d. de dam. inf.* Dicitur etiam agere apud Plinium *lib.* 36. *natur. hist. cap.* 2. iis verbis: Satisdari sibi damni infecti egit. Vel

etiam

etiam ſi quis a Judice petat reſtitutionem in integrum, Judicis officium implorat in modum actionis, quæ proprie deficit, *cap.2. ext.hoc tit.* Ac tandem ſi quis per vim ſpoliatus ſit, & a Judice petat reſtitui nulla actione inſtituta, officium Judicis ita implorat per modum actionis, ejus loco eſt ea petitio, ut in *cap.2. ext. de ord. cog.*

Secundo caſu, puta ſi lis quædam inſtituta ſit per libellum, qui cauſam contineat, multa jubere poteſt Judex, quæ nec eo libello continentur, nec petuntur, puta reſtitui fructus, inſtrumenta litis, expenſas, reparationes Eccleſiæ fieri, & alia id genus, quæ quotidie in litibus inſtitutis emergunt & incidunt. Officio enim Judicis incumbit, ut de iis omnibus Jus dicat. Plurimum vero intereſt an officium Judicis imploretur in modum actionis, an in iis quæ ad inſtitutam litem pertinent. Primo caſu neceſſaria eſt litis conteſtatio, quia principale illud eſt negotium, quod ita peragitur. Secundo neceſſaria non eſt, quia ea ſunt tantum incidentia, quæ a principali negotio pendent, de quo lis conteſtata eſt, *d.cap.2. hoc tit.* ac proinde in primo caſu nec Judex teſtes audire, nec definitivam ſententiam ferre poteſt ante litem conteſtatam, *cap.2.ext.ut lite non conteſt. non proced. ad teſt. recept. nec ad ſent. defin.* quod utrumque licet in poſteriori caſu. Et obiter obſervandum eſt, primo caſu Judicis officium a veteribus Interpretibus & Gloſſis appellari nobile, quod per ſe ſubſiſtat, nec ab actione pendeat: ſecundo appellari mercenarium, quia quodammodo ſervi-

re

re videtur inſtitutæ actioni.

Sicut vero in jure civili omnium inſtituendarum actionum principium proficiſcitur a titulo *de in jus vocando*, §.*omnium inſtit. de pœn. tem. litig.* Ita & in Jure Canonico vocatio in Jus Canonice facta eſt initium & fundamentum totius litis, *Can. vocatio* 5. *q.*2. eaque omiſſa facit ut nullus ſit Judicis proceſſus, *l.*7. *Cod. quomodo & quan. jud. ſent. profer.cap.quoniam* 11.*ext.de probat. cap.ex literis* 4. *ex.de reſt.in integ.* Unde cum Raimundus *lib.*2.*Decretal.* docuit, apud quos Judices, & in quonam foro inſtituenda ſit lis, ſtatim ſubjicit titulum *de libelli oblatione*, ideſt de vocatione in jus, & in *cap.*1. docet eam omnino præmittendam eſſe in omnibus Eccleſiaſticis judiciis. Quomodo ea facienda ſit, cum jure civili non omnino convenit Jus Canonicum, quod hic expendere juvat.

Quidam volunt, voluiſſe Juſtinianum ut in judiciis Eccleſiaſticis nulla ſcriptura interveniat ex ejus *Nov.*76. & 83. quam exſcribit Gratianus in *Can. ſi quis cum Clerico* 11. *q.*1. (& quidem ex Juliano Anteceſſore ut nempe quamcitius ea finiantur & minoribus impenſis) Sed jus illud nunquam obtinuit, nam & ante Juſtinianum vocatio in Jus rationabilibus ſcriptis facienda erat, ut eſt in *d.Can. vocatio*, qui eſt Damaſi Summi Pont. Et poſtea generaliter cautum eſt, ut judicia Eccleſiaſtica non aliter quam in ſcriptis peragantur, *Can.legum* 11. *q.*1. Imprimis autem libelli oblatio, ſeu vocatio in Jus, *cap.*1.*ext. de lib. oblat.* uterque locus illo deſumtus

eſt

cognita, nam ut loquitur Joannes Saresber. in *Ep.*58. in causis ordo rectissimus ille est, ut præcedat examinatio sententiæ. Sicut jure civili ea promenda est allegationibus examinatis, ait Apuleius *lib.*10. *Metamorph.* Ex judiciorum ordine, nam eo non servato, sententiam ipso jure non tenere, ait Tancredus *lib.*4. *ord.judic.* Ac præcipua ejus ordinis regula est, ut nemo inauditus condemnetur, nemo absens, nisi tribus edictis vocatus non compareat: tunc enim condemnari potest ut contumax: ac tandem victus in lite aut instantia condemnandus in moderatas expensas, *cap.*5. *ext. de do. & cont. cap.*3. *de eo qui mitt. in poss.* Et rectissime Innocentius III. in *d.cap.*5. & in *cap.*1. *in fin. ext. de sequest. poss. & prop.* addit *in moderatas expensas*: nec enim immensis sumtibus mergendus est reus; ideoque Judex, cui taxatio impensarum competit, eas tantum æstimare debet, quas fieri moris est, seque actor fecisse probaverit, *cap.*1. *in fine*, *de except. in* 6.

FINIS.

ANT 4.316.504

XV. C. 36.
70

C36